



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Historiæ Societatis Iesv Pars ...**

Clavdivs. Res extra Europam gestas, & alia quædam / suppleuit Petrus  
Possinus Ex Eadem Societate ; Francisco Sacchino

**Orlandini, Nicola**

**Romæ, MDCLXI**

Liber Nonus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98261](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98261)

HISTORIAE  
 SOCIETATIS IESV  
 PARTIS QVINTAE  
 TOMVS PRIOR

A.C. 1589.

Liber Nonus.

Soc. 50.



<sup>1</sup>  
 Mœror, &  
 metus Socie-  
 tatis ex im-  
 mutato Sixti  
 Pontificis ani-  
 mo.

<sup>2</sup>  
 Sixtus videt  
 libros Instituti  
 Societatis.

**I**NITIO anni 1589. qui toti fere Christiano Orbis turbulentus decurrit, ingentem Ordini nostro curam iniecit immutatus repente Sixti Pontificis animus. Quæcumque enim adhuc procellæ sæuierant, minus terroris incusserant, quod paratum in Sanctissimo Patre perugium erat. Nunc vero difficile in omnes partes offerebatur negotium, quod vnde petendum erat auxilium, inde oriebatur periculum. Sed multis modis perspecta est celestis cura gubernatoris, non in exitu modo huius tempestatis, sed etiam in exortu: cum moliri quicquam Pontificem non ante fuerit, quam ex coortis in Hispania fluctibus ipsamet saluam hanc nauiculam propemodum explicasset. Miserant Perturbatores ad eum (vix supra narratum est) per sacros Quæsitores acerrimum ingentem libellorum, aliosque super alios obtrudebant in dies, adedò importunè, vt doleret Pontifex, ac profiteretur: per Comitum Oliuarium (nam is libellorum delator, & procurator erat) non licere sibi quiescere. Quorum delationum vanitatem, & neruose Claudius, aperteque refutarat, & ipse per se se perspicuos Sixtus contemptim solebat eas libellos famulos nominare, & Pasquillos ne sœcci quidem faciendos. Interim tamen ex eorum lectione fieri non potuit quin aliquid suspicionis adhæresceret, præsertim in ijs, quæ de Obedientia Cæca, deque autoritate quam Præsides nostri res quoque fidei decernendi dicebantur assumere. Quibus cum accessissent Iuliani Vincentij calumniæ, tum demum, siue cuiuspiam aduersariorum impulsu, siue suoapte nutu, Instituta Societatis sibi met videnda, & expendenda duxit. Igitur ab libello, qui Primum, ac Generale Examen inscribitur, initio factò, in ipsummet, quasi nomen, impedit; nomenque notauit, quo, statim principio, Minima hæc Congregatio à prima sui institutione Societas IESV à Sede Apostolica nominata dicitur. Igitur pergenti, facile animo minus beneuolè occurrere non pauca, quæ perstrictum suspitione animum vellicarent. singulis, vt quæ minus arriderent, apponebat notam: tum Cardinalis Carafæ cognoscenda omnia tradit. Huius rei Claudius Generalis omnino ignarus ad Sixtum cum venisset, & Hispanicorum intulisset mentionem libellorum, suo ille more ridere se illos dixit. Verum quædam ab se notata, quæ digna plane animaduersione essent. ea Carafæ tradita. Obstupuit nec opinata denunciatione Pater: quidque negotij, & à quo coiretur extemplo peruidit: sua tamen illa, & ami-

mi, & diuinæ fiducia magnitudine sustentatus rogat, vt quod sanctitati eius minime probaretur, indicare sibi vellet, vt vel satisfieri, vel cogitari de remedio posset. Haud grauate id Pontifex dedit, iubens ex Carafa cognoscere: dumque adire illum Claudius parat, ipsemet Cardinalis præuenit; atque vltro profitetur, quæ Pontifex notarit, sane friuola sibi, nec ponderis vllius videri: non leues ipsas res, sed causas quare notabantur, significans. Multa enim erant grauissima de reddenda ratione conscientia; de varietate graduum Societatis; de nomine eius: de dilatione Professionis: de Correctione Fraterna: de Obedientia cæca: nec probabat, quod patrimonium dicunt Constitutiones distribuendum in pauperes, & amorem carnis erga consanguineos exuentum, & alia id genus. Quæ quanquam satis manifesta in perfectionis Evangelicæ scholâ, ac plane certa erant, tamen & reuerentia, quæ debebatur Christi Vicario, & constans, propositique tenax ingenium Sixti, arduum, sollicitumque reddebant negotium. Claudius de Assistentium consilio non solum ad diuinam confugiendum opem decernit, multis ob eam rem precibus & sacrificijs indictis, sed & humanis adminiculis conueniendum. Scripsit, per Oras maxime Septentrionis, ad Prouinciales, vt ab diuinarum, humanarumque rerum Principibus, ac præsertim à Pontificijs Nuntijs, curarent ad Sanctissimum Dominum commendatitias literas, quibus declararent, quam operam, quòque profectu, religioni, ac pietati publicæ nauarent homines nostri: qui morus in ijs futurus esset partibus, quanta Hæreticis lætitia, quantus dolor Catholicis, quanta fidei labes, si mutarentur Societatis Instituta; eiusque autoritas, vulgato parum fauente Pontificis animo, euilesceret. Nec segniter inter hæc Romæ curare quæ causæ vsui forent. Ipsemet rationes collegit, per quas scrupulus omnis eximebatur: in quibus late illa patebat, quæ rem apud rudes quoque subtilioris sapientia homines planam faceret, leges iubebat, quæ notata erant inuerti. Statuamus, vt vbi quis patrimonium distributurus est, non in pauperes id, sed in propinquos diuidat, quomodo stabit, quod edocuit Christus: Si vis perfectus esse, vade vende quæ habes, & da Pauperibus? Præcipiamus non exuendum erga cognatos carnalem affectum, & in Spiritualem mutandum, sed contra, vt erga suos quisque cognatos nullo Ordine caritatis, ex deprauata impetu naturæ feratur. Conscientiam suam nemo aperiat, sed id quisque curet, vt plane arcanum habeat. Nemo cum, quid iubetur, iussa exequatur, etiamsi nullum crimen in ijs appareat, priusquam multum ipse expenderit, suoque iudicio statuerit, obediendum sit nec ne. Quis hinc non modo Religiosus Ordo constabitur, sed omnino consistere hominum, vel perditorum cœtus poterit? Iam vero Societatis IESV nomen videri ab Sede Apostolica comprobatum, sicut varietatem membrorum eius, & graduum comprobata liquido constabat: nec quippiam euenisse cur ea mutari deberent, nec mutari posse, quin tota Societatis fabrica mutaretur. Id verò si fieret, videntum, qui in hanc se contulissent Religionem, num in eam, quæ de nouo conderetur adigi possent, vellentue transire. Cum his, & id genus rationibus ad Carafam profectus, quid ei videatur, interrogat. Is vt Sixti ingenium prudenter æstimabat, causam quidem non esse ambiguam dixit; tamen videri sibi differendum, moramque quoad fieri posset, trahendam longissimam: atque vt Societatem intime, & cum paucis amabat, dissimulauit ipsemet, distulitque impositum sibi munus exequi, & de censuris ijs referre ad Pontificem: sed in cæteris curis illa angebat maxime, quod Philippi Regis nomine instari eodem tempore apud Sixtum pro certo ferebatur, vt is duas res quibus tota administrationis ratio peruerterebatur, iuberet. Altera erat, vt lex

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. 1.

Gæc 2

anna-

3  
Notata ab  
Sixto in In-  
stituto.

4  
Rationes  
P. Genera-  
lis pro ser-  
uando Insti-  
tuto.

5  
Vrgetur  
apud Pontificis,  
vt coopatio in  
gradus, &  
electio Superi-  
riorum Generali  
eripitur.

6  
Rationes  
P. Generalis  
in contrarium.

7  
Capitulorum  
incommoda.

8  
Corpus Societatis  
obediencia vege-  
satur.

9  
Necessitas  
Praepositi in  
Societate  
plena potestate  
sub Pontifice  
illam gubernantis

annalis conderetur, per quam statum figeretur tempus cooptandis in certos gradus: & suum cuique gradum non Generalis Praepositus, sed Provincialis conuentus decerneret. Altera priori conueniens, vt item Receptorum, & quorumuis Praepositorum creatio non ab vno summo penderet capite, sed vt fere in cæteris Religiosorum familijs tenet consuetudo, per domesticorum conuentus, & suffragia fieret, quæ Capitula vocant. Quippe rerum studiosi nouarum, cupidique dominationis, potius quam & Commissarij spe impetrandi exciderant; nec successerat impetratio, quam per Carthaginensẽ Episcopum attentarant, cunctas vias, & machinas eò conuerterant, vt si non vnius imperium, ac regnum, certe rempublicam quandam, & multorum dominationem sibi proprie constituerent. Quod cum vrgeretur acerrime, eique formula inuenisset Pontifex, & iam ad nouanda multa satis aperte ferretur, metus erat, ne mortiferum vulnus acciperetur. Causam cognoscebant Cardinales de Sacrarum Quaestionum Consilio, ad quos libelli omnes Perturbatorum reiecti erant. Igitur aduersus hæc quoque, vt erat facile tam bona causa tanto illi tamque experto ingenio, collegit Claudius, & Cardinalibus proposuit multa, & grauissima argumenta, quibus commissa sibi familiæ communiret iura, & integra conseruaret. Quicquid enim in alijs Ordinibus eueniat, quos venerari, non iudicare nostrum est, in hoc certe nostro, si conuentus illi inducerentur, pestis haud dubie simul maxima introiret. Præter alia incommoda, quæ de his agens enumerat Martinus Nauarrus, apud quem videri poterunt, ostendebat Claudius habere nostrum Ordinem alia propria sibi item grauissima, quibus non tam forsitan aperta, & nihilominus certa ruina ad solum daretur. Etenim B. Ignatium ita descripsisse hoc corpus, vt obedientia illud coagmenet, eademque contineat; item alat, vegetet, moueat, regat obedientia. Nec potuisse aliter institui ad eum finem, atque ea opera, ad quæ conditum, atque compositum est. Quippe virum sanctissimum cum impense flagraret Christi amore, eamque ob rem gloriam eius, & regnum omni ope toto Orbe terrarum propagandum susciperet, quasi cohortem colligendam sibi putasse, quam proprij Sacramenti religione Apostolicæ Sedi subijceret, tum vt per hunc nexum plenior à capite Christo per Vicarium eius vitalis succus, ac vigor descenderet, tum vt quemadmodum peruertendarum animarum Hæretici initium faciunt à pernicia, abscindendisque ab hoc capite membris, item ipse conuertendarum opus ab Obedientia, & connexionem quàm intima auspicaretur: tum demum, vt ne deessent Pontifici, ad quem totius terrarum Orbis cura pertinet, quorum in longinquis, ac periculosis expeditionibus promptam haberet operam, & qui mitterentur, tum corroborati Obedientia, (quæ victorias loquitur) præsidio, tum autoritate legationis legitimæ communiti, vi efficacitate, ac felicitate maiore iniuncta obirent munera. Hæc autem fieri non potuisse in Ordine, qui longe, lateque pateret, nisi in Praeposito vnum collectus ita Pontifici subijceretur, tradereturque, vt vniuersam multitudinem in eo, quasi vnum hominem, promptam haberet & ad nutum flecteret, veluti ad vnum capitis nutum est prompta manus. Ad id autem fuisse necessarium, vt in Generali Praeposito tota administratio resideret potestas, quod Pontifices Paulus, & Iulius diserte confirmant, & quò ipse Pontifici Summo obedientiam quam maximam præstaret, ordinariam Sedem apud Pontificem ipsum habere. Vnde fieret, vt cum ipse semper adesset Pontifici ad omnem nutum obtemperans, & ipsi cuncta Societas obedientissime subiaceret, per totum orbem terrarum nullo negotio Apostolica Sedis iussa permearent, & cum fide transigerentur. Porro ita S. Ignatium, ita piissimos, ac prudentissimos sensisse Patres nostros, quandiu perfectè hæc pulcherrima serues

in Societate vigeret, vt obedientia expedite per totum means corpus ab Vicario Christi tanquam à capite per Generalem Prapositum quasi per collum facile in corpus descendens, ac diffusa omnes per artus caeleste perferret alimentum, & vitam, ac spiritum distribueret, prosperrime eam habituram, & ad Diuinam gloriam, & animarum auxilia saluberrime functionem muneribus suis. Interupto autem, vel resoluta nexu illo, tanquam luxata membra, sensim fore, vt extabescat, ac moriatur. Vehementer autem Perturbatorum postulatis, siue intercedi, siue laxari hanc unitatem, & consensionem sole clarius apparere: quia cum quæque Prouinciarum sibi Prapositos, ac Rectores creabunt, iam per exiguum restabit cum Praposito Generali commercium: eoque etiam minus cum Romano Pontifice. Quod vbi non essent ab Vrbe petendæ Præfecturæ, Religiosi non ita curarent iussa Prapositi Generalis, à quo nec spei, nec timoris causas haberent, & Principibus sæculi multo facilius adhererent. Considerarent igitur Patres Amplissimi, quanta res moueretur. In presentia dum viget ille vitalis ordo, cum res postulat, vbi cumque terrarum ad nuntium Prapositi Generalis excipere Patres, & exequi diplomata, ac iussa Pontificum, si abeundum sit in longinquas Prouincias, vt nuper Antiochiam, legi, ac destinari quam aptissimos viros, etiam si Rectores sint. Nullo enim incommodo suffici à Praposito Generali protinus alios. At si tollatur communicatio illa, nec ita delectum liberum relinqui idonearum personarum: nec si qua publica necessitas incidat, Prouinciales homines in potestate Prapositi futuros. Præterea permagni interesse huius præsertim temporibus, vt conseruetur facultas Moderatorum mittendi ex alijs in alias Prouincias, vt ex ijs in quibus stet disciplina, ac magis religio vigeat, in alias, in quibus laboret. atque opportunitates haud mediocres extitisse missis ex Italia in remotas partes complures Moderatoribus: quod ipsemet Pontifex Sixtus cum esset sermo de Prouincijs Gallicanis valde probauit. Hæc autem interiret commoditas, simul primum sua Prouincijs comitia ad creandos sibi Magistratus darentur. Quid quod in Prouincijs quibusdam, vt in India, Iaponia, Brasilia, Peruuia, Mexico, nullâ ratione hæc forma legendorum Præsidentum seruari posset. Primum quod conuentus Prouinciales in ijs terris non nisi sexto quoque anno habentur: immo propter conueniendi difficultates ex locorum distantia, & viarum periculis, Conuentus Generalis decreuit, ne tum quidem habendum, nisi prius per literas, & suffragia absentium constiterit conueniendi necessitas: sexennium ergo moderatores iidem præsent. Quod si quis interim, vel morte, vel casu alio deficeret, mutari debere, nonne intolerandum esset? Adde quod per distantiam, & exiguum inter se communicationem, etiam si conuenirent, necessaria inuicem notitiâ carerent, quam tamen egregie Prouinciales, aut Visitatores tum per literas assiduas, tum circumeundis domicilijs, cumque suis consiliarijs tractantes nanciscuntur. Sed vbiuis locorum quis non videt plurimum ipsorum interesse parentium conseruari hanc in summo Praposito ditionem? Nam si forte quis minus recte potestate vteretur, vexaret subiectos, seu per indulgentiam, ac remissionem fineret labi disciplinam, vel alia incidere causa tales, quid damni acciperetur si expectanda essent comitia? Quid turbarum ciceretur, si ante tempus deiciendus de gradu esset? Iudicia institui, causas dici, citari testes, & omnem fore strepitum suscitari oporteret: tum hominibus adherere infamiam, & inimicitias, & alia consequi, quæ ex iudicijs solent. Cum vt nunc habent mores, nullo negotio, nulla cuiuspiam offensione, ac nota, si opus sit à rectione quouis ad alia munera traducatur. Has & id genus ob causas cum inde vsque ab ortu Societatis hæc Præsides creandi forma à Fundatore sancita sit, & Constitutionibus insita, & ab omnibus

21  
Creatio Superiorum à Generali quam necessaria.

Ad Missiones longinquas.

Ad curationes Prouincialium per missos alium de Superioribus.

In transmarinis partibus vtriusque Indiae creationes Superiorum per Capitula fieri nequeunt.

12  
Incommoda ex potestate per Capitula accepta.

Con-

13  
Mutationis  
autores pau-  
ci, qui volūt  
res vt sunt  
stare, per-  
multi in So-  
cietate.

14  
Quam plena  
certaque ex  
notitia Supe-  
rioris in So-  
cietate cre-  
tur.

15  
Id ipsa Tur-  
bantiū Con-  
fessione com-  
proban.

Conuentibus Generalibus probata, immo diserte à Paulo, & Iulio Pontificibus confirmata his verbis: Proprii cuiusque gradus iudicium, & officiorum discretio, ac distributio tota sit in manu Præpositi Generalis. Cumque per annos vndequingenta eam vsus tenuerit, nonne paucissimi est nullo modo mutari debere, nisi grauissima, quæ aliter tolli uisum, ac sapientissimi viri, quique & numero frequentes, & religione, prudentiaque præstantes habeantur? At hic contra omnino res habet. Qui mutata hæc uolunt cum uniuerso collati corpore paucissimi sunt, uirtute uero multo maxime inferiores, partim ambitione, alijque priuatis studijs perturbati, partim ab ipsis perturbatoribus in fraudem adducti, qui cuiusmodi sint, uel inde ostendunt, quod uenire in lucem non audent: neque sua hæc deliramenta sustinent ad communes Societatis Conuentus referre, sed sperantes in calumnia, & tumultu, ut ait Isaias, per externas opes ad summum dominatum grassantur. Quo facilius Sanctissimus Dominus, uosque Patres Amplissimi, intelligetis, num æquum sit, ut homines numero perpauca, uirtute nulli, qui inuerecundè suum Parentem, ac Fundatorem proscindunt, num inquam æquum, aut tolerandum sit, ut homines eiusmodi leges imponant toti Religioni, quæ tanto consensu hominum tam multorum, tamque sapientum, malignis eorum inuentis obsistit ad conseruandam disciplinæ tranquillitatem, eamque formam, cum qua edita est, & ad hanc usque diem propagata, & confirmata per auctoritatem omnium qui deinceps fuerunt Pontificum. Denique nihil esse causæ cur debeat mutari ea ratio, perspicue constat ex uanitate eius causæ, quam Turbatores allegant. Negant enim, per absentiam, Generali notos esse quos præficiat, sed sequendum esse Prouincialis iudicium, unde fiat, ut minus idoneos legat. Quæ ratio apud ignaros morum Societatis, speciem quandam uideatur habere: sed ubi primum res declaratur, apparet nihil posse humano more fieri sincerius, & prudentius, quam sit inter nos lectio Magistratum. Nam primum inde usque ab Tyrocinio descripta singulorum nomina ad Præpositum Generalem mittuntur, explicatis cuiusque, & animi, & corporis dotibus, & præcipuis capitibus rerum cæterarum, unde homines plane Præpositus cognitos, atque perspicuos habeat: eademque post hæc tertio quoque deinceps anno instauratur descriptio, ubi ex sententia Rectorum, Prouincialium, Consiliariorum, & aliorum grauissimæ auctoritatis Patrum, item facultates cuiusque, & uirtutes, & Doctrina, & gesta uenera explicantur. Ad hæc cum uoquoque triennio è singulis Prouincijs Roman Procuratores mittuntur Prouinciali lecti conuentu, hi coram Præposito Generalem de Prouinciæ statu, deque singulis edocent. Præterea sunt certa capita, quæ partim ipse Claudius introduxit, partim planius explicauit, quibus capitibus Prouinciales, eorum Consiliarij, nempe Rectores hominum de quibus agitur, alijque probatæ auctoritatis ceteri minimum Patres de uoquoque expromunt, quæ cognoscere oportet, ut iudicetur, quò collocandi sint in gradu, & alia separatim capita, quibus palam fit, an sint Præfecturis idonei, & qui præfere, seu præfunt, quam bene perfuncti sint munere, uel fungantur, cuius interrogationis capita, totamque formulam inspiciendam Cardinalibus Claudius dedit. Nihil enim esse potest exactius. Super hæc semel, iterumque singulis annis ad Prouincialem, ad Præpositum Generalem Consiliarij de suis quisque Rectoribus scribunt, & quibus de rebus uilum fuerit. Eodemque modo de Prouincialibus Consiliarij eorum, & rebus Prouincijs, immo ex recenti Decreto quater ad Generalem perscribunt. Super quæ omnia cuique Superiorum, aut inferiorum copia fit amplissima, quæ ex usu suo, communique censuerint, indicare. His rebus fit, ut nemo Socio-

rum cuiquam familiarium suorum interius notus sit quam Generali Prapposito. Quod & Perturbatores, qui maxime rerum ignorationem ad patrociniū suā causā venditabant, immemores mentientem oportere memorem esse, tandem professi sunt, exostulantes minima quæque ad Prappositum debere perscribi. Ea igitur notitia, & maxima est, & sincera, ac certa, non solum quia nunquam ita se inuicem alij alijs aperte, tantaque cum religione, & cura indicant, ut summo capiti, communique Ordinis Parenti, sed etiam quia cum tot vijs, tam multos per homines, tantoque temporum tractu, adhæc scripto, ubi curæ plus adhibetur, & literæ conseruantur, capiatur, procliue est omnia inter se se conferre, & obseruare, quid alij, atque alij, alio, atque alio tempore iudicarint, ut etiam si qui fallere velint, non possint, & si qua inter homines de hominibus certa cognitio est, humana prudentia nullam desiderare hac certiolem queat. Hanc cognoscendorum hominum curam ubi Claudius explicarat, ita rationum colligebat summam. Ad certam Prappositorum lectionem necessaria in primis duo videri, personarum notitiam, & vacuum perturbatione animum. Hæc namque si præsto adsint, neque per imprudentiam, neque praua voluntate peccatur, qui sunt omnium fontes errorum. Notitia quanta in hac administrationis forma insit, satis est dictum, quæ tanto etiam plus habet momenti, quanto & prudentia, & vsu pollere necesse est supra vulgus inferiorum, qui supra omnes euectus tanquam ex alta specula Ordinem vniuersum circumspicit. Nam ubi res suffragijs agitur multorum, vel vnius error officiet summa: quippe cum efficiendo numero perinde valeat ignarus, ac prudens. Iam vero si perturbationes suæ Prapposito sint, & suas vnicuique inferiorum esse: & quidem æquum videri in vno quopiam è numero minus esse temperatas, quam in eo, qui legatur è toto Sociorum corpore, ut probatissima, præstantissimaque virtutis. Cæterum, quæ perturbatio, quæ studia transuersum ferant Generalem, cui res cum hominibus sit adeo remotis, adeoque subiectis. Quid timeat inde, quid speret, cum præsertim perpetuum gerat magistratum? At in conuentibus studia eò facilius dominantur, quod sibi quisque præficit eos, quibus subesse mox debeat: itaque eos prætereant necesse est, à quibus, ut semper sit, aliquid timeant, illos vero præficient à quibus sperent: nec tam boni communis, quam priuati commodi ratio habeatur. Adde quod in Ordine hoc eò maiore custodia intercludendus est aditus ambitioni, atque superbix, quanto varietas, & genus munerum, quæ in commune bonum tractantur, opportuniore sunt ijs pestibus; quantoque magis ad conseruandam disciplinam domesticam, & vtilem foris nauandam operam, necessaria est firma possessio, & perennis exercitatio Euangelicæ humilitatis. Hæc & alia in eandem sententiam non solum Cardinalibus causæ præfectis exposuit Claudius, sed & cum increbesceret rumor vrgeri hoc caput à turbatoribus, nec abhorre Pontificem, Marco Antonio Columnæ Cardinali impense rem commendauit, rogato uti ex occasione eliceret Sixti mentem, sique opus foret ab incepto abterere conaretur. Accedit Cardinalis causa optime cognita, & vndique rationum telis instructus, haud per cuniculos, & ambages, sed palam quasi manu conferta dimicaturus. Incipit ergo: auditum sibi nescio quid moueri de mutanda ratione, quam ad id loci Societas in suis Reëtoribus, Prappositisque creandis tenuerat; idque agi, ut eorum designatio posthac non à Prapposito Generali, ut ex Instituto Ignatij, quod in Prouincijs per conuentus, & suffragia fieret. Quæ vix audierat Sixtus, cum interpellans. Quid?, inquit, Capitula volunt? tum vero totus permisceretur Orbis: magnos paruos, deuotos quisque, ac deuorulas interponeret suas. Cum eorum Capitulis cunctarum simul Ciuitatum,

16

Duo necessaria ad bonam Prappositorum lectionem.

Ea in Generali reperitur.

In conuentibus vix sperari possunt.

17

Marci Antonij Columnæ Cardinalis beneuolam officij apud Pontificem.

18

Pontifex à creatione Superiorum per Capitula abhorret.

tarum, & singularum domorum essent Capitula: totum denique commo-  
nerent Orbem. Iube, inquit, esse securos: Scimus nos non esse Iesu-  
tarum ex usu ista Comitia. Quæ cum retulisset Generali Columna, pars  
curarum non leuis decessit, simulque est cognitum: nequaquam id vere  
vniquam Regis Philippi iussu attentatum, sed solum nomen simulate  
tentum. Quin potius solitum eum in hac parte admirari, & prædi-  
re Ignatii prudentiam, qui tale genus administrationis suum in Or-  
nem induxisset. Hac igitur exempta cura, de certo Professorum, &  
aliorum graduum tempore etiamnum sollicitudo restabat: edocendique  
insistebatur Cardinalibus quanta id necessitate fieret, ut nullus esset  
minus communiter præstitutus. Non enim nisi explorata, eæque vo-  
tutis homines cooptari posse in Societatis gradus. Nec vero ex æquo  
nium explorari facultates, neque ex æquo maturefcere, siue aetatem, siue  
Doctrinam, siue virtutem; cum hæc tam diuersa signa ad Religionem affe-  
rant, Interim tam multæ, tamque honorificæ, & æcres ex Polonia, ex  
tota Germania, Belgioque adfuerunt commendatitiæ ad Sixtum litera ad Ro-  
dolpho Imperatore; ab Sigismundo Rege, & omnibus fere sacris pro-  
fanisque Principibus, ut magnum suæ in Ordinem nostrum pietatis do-  
cumentum ediderint, nobisque æternum referendæ gratiæ onus impolie-  
rint: ac denique Sixtus non leuiter expostularit, tanquam sibi qualita-  
apud eos esset infamia. Cæterum præcipua commendatione digna est  
Guilielmi Bauariæ pietas. Ita hac de causa laborauit, ea Procuratori in-  
Urbe suo Minutio mandata dedit cum literis compluribus ad quoscum-  
que opus foret, iussu cuncta administrare ex Præpositi Generalis dictu,  
itemque ad se sua manu frequentissime scribere, quo in gradu res  
esset, ut si de toto eius ageretur dominatu haud facile videatur po-  
tuisse sollicitudinem magis intendere. Literas ad Pontificem sua manu has  
dedit.

Beatissime Pater.

Præclara venerandæ Societatis IESV in Catholicam religionem  
merita, eiusque in his Germaniæ partibus, vel restituendæ, vel conse-  
uandæ labores, ac studia nouis quotidie occasionibus, felicibusque suc-  
cessibus sic à Deo benedicuntur, ut non raro Diuinam providentiam in  
illis ego quidem suspiciam, ac deprædicem, qua calamitosis hinc tem-  
poribus Ecclesiæ à Deo missi, strenuos in illa, summeque necessarios se  
operarios exhibent: mihi vero, terris, ac populis meis, quibus hæc  
Patribus, eorumque laboribus frui contingit, plurimum graulet, nihil  
magis exoptans, quam ut institutum adeo salutare faciem illam constan-  
ter retineat, qua non parum Christi Sponsa Ecclesia hæcenus recreat,  
nouoque foetu multiplicata fuit. Quod propter Apostolicæ Sedis robur  
quo hæc Societas, & Religio firmata est, felicemque eius Institutum  
cursum semper mihi firmiter persuasi, neque nunc quidem secus, ut  
accidat diuinam bonitatem permissuram confido. Patrum vero, qui in  
his partibus rei Christianæ dant operam, contrarium quendam timorem  
non absque animi mei molestia his ipsis diebus ex ipsismet didici, cum  
de nescio qua innouatione in eorum Instituto forte faciendâ dolens  
mihi significarent, adque eam nouitatem inducendam Sanctitatem Vestram  
à quibusdam non parum incitari. Quoniam vero Sedis Apostolicæ aucto-  
ritate, & defensione, vel vnica eorum Societas in primæua sua inu-  
gritate, puritateque hæcenus persisterit: & contra quoscumque eam  
impugnantes, vel in dubium ipsum Institutum vocantes se tutata sit,  
quo animo iam esse; quidue sibi polliceri debeat, cum Sanctitatem  
Vestram institutum aggredi, & mutationem in eo facere velle intelligat.  
Ego vero Beatissime Pater, non tam Patrum istorum nomine, quibus  
tam propter fidelem, quam mihi populisque subiectis nauant operam plu-  
rimam

19  
Regis Phi-  
lippi autori-  
tas factio in-  
terposita.

20  
Litera comē-  
dantia Prin-  
cipum pro  
Societate  
multæ ad  
Sixtum scri-  
ptæ.

21  
Fator infi-  
guis Guiliel-  
mi Ducis Ba-  
uariæ in So-  
cietatem.

22  
Litera ad  
Pontificem  
eius manu  
scriptæ.

rimum debeo, quam propter religionem ipsam Catholicam illis in his partibus potissimum innitentem, pro mea erga Sedem Apostolicam obseruantia, & tranquillitate Ecclesie status, zelo, ac desiderio, non possum non Sanctitati Vestrae debita cum reuerentia, animique submissione aperire, qualemcumque huius Ordinis Societatis hoc tempore perturbationem absque euidenti religionis Catholice in his partibus detrimento accidere non posse. Quae ex eorum Instituti immutatione, vel innouatione, non tam ipsorum Patrum asseruatione, quam mea quoque sententia maxima cum sit futura, eam Sanctitas Vestra pro suo erga Christi Omnes amore, ac studio praecauere ut velit etiam, atque etiam submisit rogo. Illud praeterea perpendere, ex Instituti Societatis per Sedem Apostolicam hoc tempore innouatione, vel aliqua mutatione, tum frigidus in Germania nostra Catholicos, tum obstinatos Haereticos in concepta contra Ordinem Societatis opinione non parum confirmandos fore. Quae Catholici dissolutiores, praesertim Ecclesiastici, virtutum splendorem, & vitae exemplum horum Patrum non ferentes, cum in vita, & moribus eorum nihil carere, & reprehendere possint: institutum ipsum eiusque procedendi rationem in dubium vocare solent, Ordinisque Societatis dilatacionem in his partibus impedire ea ratione, vel à se hanc Religionem arceri conantur. Qui tamen facile Sedis Apostolicae autoritate, qua Religio haec Clericorum Societatis IESU iuxta totam suam rationem, sibi propriam, & primo institutam, & toties postea per Summos Pontifices, ut etiam per Sacrum Concilium Tridentinum, approbata fuit, repressi haecenus fuerunt. Haereticis vero nonnulli ab alijs Haereticis, qui Iesuitas & ipsi vocant fidelissimos, & iuratos Papae defensores, & Ministros proclamant, & propterea cane, & angue peius oderunt dissentientes; inter alia, quae contra Societatem perperam, effundere solent, Iesuitas nec Catholicos quidem, sed nouam quandam sectam esse apud suos pronunciant. Quantum iam Beatissime Pater, vtrique, dispari ratione licet, in perniciose sua, falsaque opinione confirmabuntur, si intelligant Societatis institutum in dubium à Sanctitate Vestra vocari; quaedam in illa innouanda, ac immutanda esse. Quam gaudebunt in finem inueniunt quidem Societatis, detrimento vero Ecclesiae, pro qua tam fideliter hi Patres laborant, vitam quoque & sanguinem pro illa exponentes. Ac certe Sanctitas Vestra mihi credat, nihil periculosius Ecclesiae in his partibus excogitari hoc tempore posse, quam si Patres Societatis in suis functionibus, quas iuxta suum Institutum pro Ecclesiae bono hic exercent, remitterent, aut propter mutationem in eorum Instituto factam, cum pristino Societatis spiritu, ac fernore illas non obirent. Cum propterea Societas haec erga Sedem Apostolicam in eius autoritate apud quoscumque ex peculiari instituti sui ratione tuenda, & persuadenda, fidelissimam se haecenus exhibuerit; ut tum Regna, & populos ad illius obedientiam, & subiectionem adduxerit, tum Principes quoque Catholicos ad debitam erga eandem obseruantiam, & deuotionem, permouerit, nec in hoc genere finem faciat; ac nisi Sedis Apostolicae per ipsam autoritate magis, magisque amplificata, crescere se non arbitretur, omnem vicissim ab eadem Sede protectionem mereri videtur, qua non tantum à Sanctitate Vestra ipsum institutum omnem erga se fauorem, Apostolicamque benignitatem experiat, verum etiam Sanctitatis Vestrae autoritate Ora ei obloquentium, vel quid noui contra illud à tot Summis Pontificibus confirmatum molientium retundantur. Quare Beatissime Pater submisit iterum rogo haecce religionis Catholicae in his partibus fere vnicum praesidium, laudabilem hanc Societatem, ea ratione tueri nobis, ut velit, ne circa eius salutarem, totique Eccle-

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. 1.

Н Н Н

fia



deret legum, ac praeceptorum astatim esse, solum curam Praesidium, & operam posse desiderari, saluberrimum hoc quod totidem verbis placet adscribere, de hora singulis, aut minimum alternis diebus in considerando officio suo ponenda, decretum edidit. Quod, inquit, nona parte constituit. cap. 7. §. 13. docuit Pater noster, tempus omne, quod valetudo, & vires corporis permittent Superioribus, partim cum Deo, partim cum officialibus, & Ministris, partim secum seorsum considerando, & statuendo esse impendendum, tanti momenti est, ut ex huius Constitutionis neglectu plurima incommoda sequi, & ratio manifesta demonstret, & experientia non obscure conuincat. Nam cum Rectoris officium sit, ut habetur par. 4. cap. 10. §. 5. Oratione, & Sanctis desiderijs totum Collegium velut humeris sustinere: deinde curare, ut Constitutiones seruentur: Collegialibus cum omni sollicitudine inuigilare; eosdemque ab ijs, qua nocere possint defendere; ut omnes in virtutibus ac literis proficiant; curare (quae verba in illius officij regulam, 21. & Praepositi 22. translata sunt) liquet eum qui haec non omni sollicitudine praestet, quae sui officij sunt praestare non posse. Quae cum animo voluerimus, & intelligeremus sine dubio fore, ut non modo quotidianae admonitiones, & literae, quibus Superiorum animos ad pastorem vigilantiam excitare conemur, sed ipsa etiam regulae sine fructu editae sint, & commendatae, nisi re ipsa, quae ordinatae sunt executioni mandentur, ac perpetua quadam industria moribus potius nostrorum expressa, quam literis consignata cernantur: Visum est nobis in Domino, re diligenter illius Maieitati commendata, in eam curam omni studio incumbere, ut ea Constitutio, ac Regula exacte seruetur, & id Superiores opere ipso praestent, quod praestare tenentur, & quamuis Constitutio satis indicet quantum in ea re temporis impendendum sit, totum scilicet, quod valetudo, & vires corporis permittant; tamen quo melius, & certius praecipuae huius operis parti, id est Orationi, considerationi, & deliberationi aliquid temporis tribuatur, videtur maxima futurum utilitatis, si quotidie aut certe alternis diebus integram horam sibi praescribant in qua se cum, & cum Deo considerent, & statuunt, quae ad rectam domus, vel Collegij administrationem spectant. Eo tempore in conspectu Dei considerent quomodo se habeat status domus, vel Collegij, quomodo subditi in spiritu, & virtutibus proficiant, quid impedimenti, quid distractionis habeant, quo spiritali morbo ille, vel ille laboret, quo remedio iuuari possit, ut adhibeatur: quomodo Praefectus rerum spiritualium, quomodo ceteri officiales suum officium exequantur: quomodo Regulae, Generalium Ordinationes, & Religiosa disciplina seruentur: quis erga proximos per nostra ministeria fructus colligatur. Denique praeter examen quo proprios defectus personales proprie solent examinare, examinent hoc tempore defectus circa gubernationem, legant Regulas Visitatorum, & Superiorum iussa. Caueant tamen ne hanc lectionem perfunctorie, & quasi cursim praeteruolent, sed accurate, & meditato plura studiose considerent, & deliberent, quam legant. Denique disquirant quam diligentissime quomodo omnia ad nostrarum Regularum praescriptum, mentem Constitutionum, & maiorem Dei gloriam componantur. Hoc autem ita cupimus obseruari, tanquam eam Constitutionem, ex qua vere ceterae pendent omnes, ut etiam in virtute Sanctae Obedientiae id praecipendum putarem, nisi obedientia ipsa Superiorum, & amor in Societatem, quam hoc studio maxime iuuandam, ornandamque confidimus, tam vehemens calcar excluderet. Ceterum intelligant Superiores hoc praeepto semoto, quacumque possumus efficacia, maiori quovalem affectu id nos ab illis per viscera misericordiae Christi, per caritatem, qua Societatem, atque animas suas, & Fratrum suorum diligunt, arden-

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. I.

Н Н Н 2

arden-

Decretum  
de hora con  
siderationis  
Superiori-  
bus quotidie  
impendenda  
in rebus sui  
officij.

30  
Qua appro-  
batione ex-  
ceptum id  
mandatum.

31  
Ioannis Ba-  
ptiste Eliani  
mors post vi-  
tam bonam,  
& pios labo-  
res.

32  
Talmudi-  
cas nugas  
aboleri cu-  
rat, inde Iu-  
dais exofus.

33  
Industria  
eius in tra-  
denda Ca-  
techesi.

34  
Cardinali  
Farnesio  
compara-  
tur.

35  
Funus Car-  
dinalis Far-  
nesij.

36  
Eius in So-  
cietatem be-  
neficia.

37  
Iudicium  
Caroli V. de  
eo.

ardentissime flagitare. Hæc ita constituta misit ad Prouinciales, vt cum omnibus communicarent Moderatoribus, darentque operam, vt qua opus erat voluntate, studioque susciperent, atque eosdem ipsi, idoneos animos tribuendo, cura rei familiaris leuarent. Excepere magna alacritate mandatum hoc Patres, gratiasque Deo egerunt, qui tam salutarem Pastori mentem inieciisset. Scripsit Bartholomæus Perius de Nuceros in Boetica Prouincialis, hanc cætera emendandi clauem esse. Iosephus Acta Visitator cæleste sibi dixit monitum visum ad corrigenda, si qua sunt praua, ad expolienda, & perficienda, quæ recta. Ipse autem Generalis quamuis tanta premeretur occupationum mole, tamen Considerationis quotidianam horam seridè ipsi sibi præscripsit, seruauitque postea pari constantia, & conscientia suæ æquitate, & Ordinis totius profectus.

Egregios inter viros, quos dedit hoc anno Cælo Societas, iure memorandus est Ioannes Baptista Elianus. Quinto nonas Martij in Romano Collegio, quo fuerat ab Domo Pœnitentiariorum æger relatus, sanctè post cuncta Sacramenta decessit. Vir erat salutis animarum ad infinitum faciens, laboriosus iuxta, atque industrius, sui contemptor nobilis. Eas in Aegyptum, bis ad Maronitas profectus late suam caritatem diffundit: multarum linguarum subsidio instructus omni ope omni nationi saluans.

Nec parum in Italia, Romæque præsertim, de Sancta Ecclesia meritis, ex Iudæorum fæce multis ad Christianam fidem traductis, eorum impietati detractis nutrimentis, cum magnam vim interceptisset Talmudicorum voluminum, quæ Pontifex Gregorius dari flammis eius iudicio iussit. Eas ob res Iudæorum in pertinacia hærentium insigni odio dignus est habitus. Christianam plebem Christianis complectebatur visceribus. Nouas in dies reperiēbat artes, quibus aut peccantium arceretur illecebra, aut inopiam subleuaretur calamitas. Inter alia excogitauit, perfecitque vt mysteria fidei, & præcepta Decalogi in picturam redacta formis excuderentur, vt haberet in ijs rudiorum tarditas disciplinam, memoria subsidium, languor incitamentum. Placuit adeo inuentum, vt Præfectus Vrbis, Vicariusque Pontificis, in Cauponis omnibus, & Diuersorijs affigi eos libellos iusserint: permultique Dynastæ in suas ditiones exemplaria eorum multa-

transmiserint. Peregrinationum eius ærumnæ, vexationes, naufragia, vincula, suis dicta sunt locis. Cum in eisdem dies incidisset mors Farnesij Cardinalis, non defuere, qui dicerent, duos simul Pauperum Patres obijisse. Adeo diues caritatis mendicitas Ioanni Baptista idem pepererat nomen, quod tanto Cardinali pecuniosa benignitas. Farnesius, quâ illum decuit pompâ celeberrimis per Urbem exequijs, Plebe vbiq; plangente, in Templum IESV ab ipso conditum elatus, ibi à duobus & quadraginta Cardinalibus præter Prælatorum, & omnis generis virorum insignium lectissimum numerum, iustis funebribus honoratus est: Societateque per Orbem Terrarum vniuersa multis illum Sacrificiorum millibus, & precum, ac piaculorum defunctis vtilium numero ingenti gratè profectus-

ta, non tamen sibi satis vniquam visa est beneficiorum eius magnitudi-  
ni, æquam officiorum suorum vicem rependere, ac quasi pari modo re-  
metiri potuisse. Nam is plane vir beneficâ in nos quadam electus Dei  
providentiâ visus est, qui hanc minimam Familiam ex infirmis crepundijs  
initiorum, ac velut è fascijs infantia, in Ecclesiæ lucem, ac publicæ  
utilitatis celebritatem excitaret. Magna, & multa, & vltro, & affectu  
semper vltra dona redundante largitus, gratificatusque nobis est: & alio-  
qui talis fuit claritate, ac sapientiâ, vt quos diligeret, suffragio lau-  
dis honestare putaretur. Cui enim obscuritati splendorem non adiunge-  
ret eius æstimatio, atque amor, qui sacram purpuram annis quinque, &  
quinquaginta, quam dignè gestauerit declarauit locuplete testimonio fa-  
cientissimus Imperator Carolus Cæsar quintus, auditis de Alexandro Far-  
nesio

nesio

nesio

nesio attentissime inspecto cum diceret: extare in viro illo tam illustre specimen Apostolici Senatûs, ut si ex eo de ceteris Purpuratis Aula Romanæ Patribus censeretur oporteret, dubitari nequiret, quin sacrum Cardinalium Collegium, augustissimum Orbis totius Concilium esset. Talis vir nostrum Ordinem, & à principio sine exemplo, & ad extremum usque suum spiritum sine tædio, aut intermissione fuit, promovit, commendavit, præsidio, ac patrocinio protexit. Auenionense Collegium, cum illam Urbem, ac Prouinciam Legati potestate administrandam suscepisset, cõdere Societati cæperat; Pontio Cogordano, & Iulio Onofrio nostris eò secum ductis: sed morte Iulij Tertij reuocatus Romam, & à nouo Pontifice alibi detentus, deficiente occasione capti perpetrandi, constantem tamen tenuit de nobis bene merendi voluntatem; dum Archiepiscopali Montis Regalis Cathedralis in Sicilia impositus Collegium in eâ Urbe nostri Ordinis magnificè ædificauit, & largè dotauit. Dignus ob hanc forte liberalitatem ceteramque pietatem habitus, quem Romanæ IESV Basilicæ conditorem fuisse Diuinitus electum, S. P. Ignatio dum adhuc uiuere afflatu prophetico significatum videatur. Eius Templi constructio non nisi duodecimo post viri Sancti obitum anno capta est. Annis inde septem eatenus promotâ, ut marmori vestibulo interiori conspicuè inserto verè insculpi potuerit, anno eam Iubilæo 1575. perfectam. non tamen ante annum Christi 1584. rite dedicata ea Sacra ædes est; sacris operante Cardinali S. Severina: cuius anni eiusdem, die Assumptæ in Cælum, Deiparæ Sacro, primum sacrum in eius Arâ Maximâ Summus Pontifex Gregorius XIII. fecit. Ex quo tempore multis adhuc annis, expolire, ornareque opus istud suum munificentia, qua cæperat Alexander perrexit: idque illum curantem occupauit mors, multis eorum, quæ in eo genere designauerat, non perfectis, quibusdam ne inchoatis quidem. Tholum enim inter cætera, & restudinem Camera imminentis Aræ Maximæ, vermiculatâ picturâ Museaci, ut vocant, operis, pretiosissimi simul, & speciosissimi, decorare constituerat. Sed Deo aliter visum, qui conscientia officiosa voluntatis repræsentare mercedem absoluti operis voluit; eo, ut sperare licuit, recipiendo in Coelestem suam Domum, quem sibi Domum terrestrem ædificare, ornareque conantem videret. Cuius sui Consilij prælesum ei afflante aliquem multò prius videri potuit. Biennio siquidem ante supremum diem, nempe anno Christi 1587., quem Cardinalis Alexander Farnesius octauum, & sexagesimum vitæ numerabat, bene adhuc valens, & quam maximè florens, sponte sepositis humanis curis, cum lectâ religiosorum comitum manu rus secessit; ibique primum reuocata memoria omnium longa vitæ actorum, quicquid in ijs vitiosum agnouit, Sacerdoti cum lacrymis, & ingentis doloris luculentâ expressione confessus est. post quod ibidem perseverans, vnicè intentus faciendis, ut Sacrae literæ monent, dignis pœnitentiæ fructibus, sacrificia, quotidie offerri Deo plurima curauit in suorum peccatorum expiationem. Et quia suatum Regi Magno à Propheta meminerat, peccata, ut elemosynis redimeret, in eum propriè finem largitiones in egenos profusiones quam vniquam instruit facere. Ipse interim orationibus, & facis ad septem præcipuas Urbis Basilicas peregrinationibus vacans, virorum quoque Sanctitate insignium Religiosarumque familiarum ad idem suffragia corrogans; nullos nisi de rebus Coelestibus, deque mortis piè obeunda ratiose sermones cum familiaribus ferebat. Viginti circiter mensibus in isto secessu sic traductis, sepulcro suo in IESV Basilicâ dudum capto, manum imponi vltimam iussit; instinctu, si ex euentu licet æstimare, præfago: tertio enim ferme post mensē, ipsius postridie Kalendas Martias hoc anno mortui cadauer eò illatum est; laudationes ad Panegyrim eius funebrem perorarunt Iulius Nigronus, & Franciscus Bencius nostri

38

Collegium  
Auenionense designat.

39

Montis Regalis condit.

40

Maffei vi-  
te S. P. Ignatij 1.3. c. 14.

41

Templum  
IESV quando inchoatum, perfectum, dedicatum.

42

Secellus Alexandri Cardinalis biennio ante mortem.

43

Eius Pœnitentiæ, &amp; vitæ laudabilis.

44

Mors, &amp; sepultura.

45

Qui de eo scripserint.

46  
Ioannis Mi-  
lani Laici  
adiutoris fo-  
licitudo de-  
perfeueran-  
tia.

47  
Imitatur  
S. Alexium,  
& eius per-  
nigilio mori-  
tur.

48  
Subita mors  
Caroli Mara-  
ni.

49  
Vocatur in  
Societatem  
cum alios  
auertere ab  
ea studeat.

50  
Francisci  
Marini scri-  
ptæ præcla-  
ra morte im-  
perfecta.

51  
Collegium  
Salerni con-  
ditum suasi-  
Comitis Mi-  
randæ Prore-  
gis.

52  
Consentinum  
Collegium  
inchoatum  
agente Car-  
dinali Pal-  
lotta.

53  
Adversarij,  
& Fautores  
eius operis.

nostri ille Parmæ, hic Romæ, alique deinceps è Societate præstantissimi eius viri memoriam, quæ soluta, quæ vincita numeris oratione celebra- runt: imitati splendidissima eius ævi ingenia, Paulum, & Iacobum Se- doletos, Marcum Antonium Flaminium, Aldum Manutium, Petrum Vito- rium aliosque plurimos, quorum è scriptis palam extantibus, quæ hic defunt inclyti huius Herois decora repetere licebit: nos enim, pro instituto, ea dumtaxat, quæ ad merita eius in nos, nostrumque in eum vicissim gratum animum pertinere videbantur, attigimus. Aprilis Professos Ioannes Milanus decessit rerum domesticarum iam dudum ab anno 1549. adiutor: cui de perfeuerentia aliquando sua sollicito in Dei famulatu, Beatus Ignatius dixisse fertur. Esto securus: nam si ego in Societate perfeuerabo, tu quoque perfeuerabis. Cellulam sibi ad ducen- sandum instar Sancti Alexij lignis sub scalis in ipsa humo concinnat, ibi- que in Sancti Alexij perugilio hora ferme postquam recte valens Sa- cram Eucharistiam in templo susceperat, repentino fugiente animi, ex- tinctus est. Sed multo magis incertum vitæ mortalis in Carolo Mara- no spectatum. Ministrum in Germanico agens Collegio, cum omni vir- tutis exemplo, florens ætate, robustisque viribus, & firma valetudine quinto Idus Aprilis, vbi primum mane excitatus est, nescio quid de- Collegij administratione cum vno è Fratribus exorsus, extemplo ani- mam exhalauit, maximo beneficio vitæ religiose consequutus, vt ille- tanti momenti transitus, quanquam improvisum eum, non tamen impe- ratum opprimeret. Eo etiam beneficium notabilis fuit, quod cum is Romam olim venisset, duos vt adulescentes Vincentium Maranum, & Vergilium Ceparium sibi cognatione iunctos à Dei famulatu abduceret, malus captator bene captus in Christi retibus, quæ rumpere tendebat, hæserat. Interrupit mortalitas & Francisco Marino viro docto, ac pio multa, quæ habebat inchoata præstantis sapientia, quæ studiorum in- Neapolitano Collegio Rector, post diuturnam Theologiæ professionem, cum ad lucem, posteritatemque limaret, euocatus est ad mercedem, & operum caterorum, & vt sperare licet, eius quoque voluntatis. Duo in hac Neapolitanâ Prouinciâ recepta Collegia, Salerni, & Consentia: cum vtraque Ciuitas, & per se se vehementer instaret, & auctoritas Co- mitis Mirandæ Proregis accederet. Is quin etiam Salernitanis autor fuit. Nam cum hi petijissent, vt sibi in Regis dumtaxat potestate esse ab om- ni Dynastiarum iure liberis, quod, in Domanium se conferre, vulgo appellant, Prorex eam per occasionem vicissim ex Ciuitate, vt Colle- gium aduocaret, petijt: quod summa voluntate est factum. Nalli hoc anno Salernum missi Collegæ. At Consentiam Archiepiscopo Euangelibus Pallotta, eodemque Cardinali Datario, postulante, iuere Fulvius Bo- trius, & Octavius Palmerius, & mox Marius Sardus. Non defuerat initio, qui magis partium studio, in quas erat dissecta Ciuitas, quam- tadio Collegij, ceptis aduersarentur: mox tamen communis omnium prompta fuit benignitas. Præsertim postquam in attributis domicilio edi- bus tria conflata sunt Sodalitia, Nobilium, & Opificum, & Scholasticorum; quanquam nullas dum Collegium haberet scholas. Plurimum iuue- re opus auctoritate sua Hieronymus Valanus, Hispanus natione, per illud tempus Calabria Præses, & Cardinalis Consentinus; è Ciuibus autem Fabius Passalacqua, Secretarius Regius. Iam inde ab anno 1584. mu- ximè Caroli Mastillij incitata concionibus Ciuitas in eam rem Consilio pu- blico certam pecuniam destinarat; certum etiam numerum pagi circumiectis certum priuati Ciues sponponderant. Adiuuit etiam vehementer hoc anno Cappuccinorum sacra familia Laurentius Broscia, qui per magni ieiunij con- ciones, multorum Ciuium, quæ refrixisse videbantur; voluntates, magne- suæ, & eloquentiæ, & charitatis igne pristino calori restituit.

In Sicilia ex receptis superiore anno Collegijs Calatanestense adificari coeptum. Ipsi Ianuarij Kalendis primo locato lapide, cum optimis Sanctissimi IESV Nominis auspicijs. Adificabat, fundabatque Ludouica Luna lectissima foemina, tum ituris iusto numero incolis, cum domicilijs, ac caetera in expedito forent. In praesens perpauci tanquam in stationem praemissi. Minai magna gratulatione Nouembri mense sub duobus magistris publicatae literae, vir pius, & locuples, & liberis carens Thomas Guerrerius eius Collegij parens fuit, in perpetuam piae, sapientisque Posteritatis successionem. Praefecti Cruciatæ in Regno Sicilia, quod triennio ante terenderant, hoc iterum anno vrsere, vt apud nostros, libelli cruciatæ imprimerentur. Volebant primum, qui ei praeficerentur operi, ab suorum Rectorum obedientia exemptos, vnus parere Cruciatæ Praefectis: deinde in chartam, & caetera necessaria sumptum facere nostros; cum eo, vt & lucrum, quod ex libellorum distractione fieret, ipsis itidem cederet. Ita adhuc factum dicebant. Sed cum ostensum esset, alterum aperte cum obedientia, alterum cum Societatis paupertate pugnare, illud temperamentum probarunt, vt impendium, & lucrum omne ad ipsos pertineret. Nostri autem operam fidelem, ac sedulam, sub Praesidium suorum potestate conferrent.

Messanae Tyronum Magister, vir suae intelligendi, suae agendi recte laudibus apprime pollens, Antonius Maria Parentucellus Lunensis in diocesi Sarzanensi ad superos in aui flore migravit. Philosophiam Romae docuerat: inde missus huc venerat, tum ob egregiam religiosae prudentiae indolem tyrones vt regeret, tum ob valetudinis infirmitatem: cui Siculum Coelum fore commodius sperabatur. Magnum sui desiderium Domesticis perinde atque Externis reliquit. Nihil autem minus Valentinus Arigonius Venetae Professorum domui Praepositus. Vir erat solida instructus virtute, familiaris cum Deo consuetudinis tenax, magno ardens studio animarum, idemque efficax, vel supra vires laboriosus. Moriens id habuit curae imprimis, vt veniam postularer à Socijs, si quempiam offendisset, & suam illis testaretur, cum qua decebat animi laetitiam, & conscientiae pacem; saepius professus abire se omnino laetissimum: neque per Dei gratiam residere quicquam, quod conscientiam, vel leuiter commoueret. Hoc nimirum est non gustare amaritatem mortis; haec famulatus Dei habet in decretorio illo articulo Immortalitatis pignora, quibus vel vnus, quae conferri mortalis felicitas queat? Reliquit in eadem Veneta domo Ioannes Antonius Segala admirationem rarae virtutis, longo Sanctae Marthae laborum tractatu collectam. Templum eius domus Franciscus Barbarus electus Aquileiensis Patriarcha Iulio mente, ritu solenni, summa voluntate sua, & gratulatione Populi consecrauit. Carolus Philibertus Sabaudiae Dux, cum aduersus Geneuenses bellum mouisset, quatuor secum è Societate, cum Iulio Coccapano Confessario suo duxit, militum animis seruituros. Illi verò, & corporibus seruiere, Nosocomio agris, faucijsque recipiendis instructo. Curarunt male valentes, mortuis Catholico ritu preces adhibere, ac sepulturam. Pugnantibus ante, postque pugnam, & in ipsa acie praesto fuere; multorum dissidia composita, multi inquinatae Doctrinae flammis dati codices; caeteraque id genus gesta, nec sine magno negotio, nec poenitendo successu. Fuere ij tutiores, inter arma, quam in media pace, Ioannes Franciscus Vipera. Is Genuae pro nota sua virtute multum nactus auctoritatis, multorum auctor recte factorum, inter caetera viro nobili flagitij materiam interuertit. Vnde homo accensus in furias, cui gratiam referre parem nequibat, feritate barbara vitam decernit eripere. Ergo structis certo loco insidijs, dispositisque Sicarijs; nomine primariae foeminae, quae agra simulabatur, accitur de nocte Vipera, eius vt Confessionem exciperet. Arcana omnibus erat praeterquam Viperae insidiarum suspicio:

54  
Collegij Calatanestense adificari coeptum: Fundatrice Ludouica Luna.

55  
Minai Collegium ceptum fundatore Thoma Guerrerio.

56  
Praefecti Cruciatæ opera nostrorum, vt volunt conditionibus molestis.

57  
Antonij Mariae Parentucelli mors. Item Valentini Arigonij.

Et Antonij Segala.

58  
Templum Domus Professoris Venetae consecratum.

59  
Milio Castrensis magni successus in exercitu Ducis Sabaudiae.

60  
Claudius Pule-  
les, in Exerci-  
tio obedienti-  
ae nefarie  
occidit.

61  
Autor necis  
Claudij resi-  
puit, & ve-  
niam petit.

62  
Haeretici in  
conuentu  
Varsauiensi  
Societatem  
oppugnant.

63  
Rigenfes ve-  
hementer  
agunt con-  
tra Societa-  
tem.

64  
Catholicoru  
studia pro  
Societate, &  
postulata,  
Prouincialis

65  
Decernitur  
restitutio  
Collegij Ri-  
genfis.

cio : quare cum Rectore Simone Arpio egit, vt quempiam mitteret exploratum, vere-ne Matriona, quemadmodum narrabatur agra decumberet. Simon duos praemittit Fratres, Claudium Pulem, & Carolum Antonium Malatestam, consulto lectos humilioris statura, cum Vipera esset procerior, ne si forte in insidias praecipitarent, per errorem in ipsosmet fratres certum in locum venerunt, Sicarij ex insidijs coorti, Claudium Pulem magna plaga in humero, & plumbea sclopeti glande in femore percussit, & ictus minime lethalis esset, existimatum sit imbutam veneno glandem fuisse. Tam insana inceserat Vipera tollendi libido. Sed Deus ad diuturniores labores seruare illum voluit, & Claudium, perferendo vti fecit, magna aequitate eo casu praeparatum, praesenti remunerari mercede. Erat enim eximia virtutis, & vt obedientia causa lababatur talia sibi perpeti concessam, ita etiam profitebatur, perlibenter se Vipera Vicarium mori: quod ille multum adhuc posset Ecclesiae Dei, Societati que prodesse, ipse autem homo, vt loquebatur, nihili esset. Senatus scdum facinus indignissimè tulit, maximaque proposuit praemia, qui autores indicaret: nec rura vulgari à nobis necesse est: nisi quod paucis post mensibus cum rabie libidinum deseruerat, tanta nobilem illum poenitentia subiit, vt sponte, quod palam est cognitum, ad Vipera pedes prouolutus, veniam suppliciter rogans, Confessionem rite peregerit.

In Polonia, cum Varsavia Regni conuentus haberetur, vehementer Haeretici coorti sunt contra Societatem. Videbantur audaciam assumptisse ex Transyluanorum exemplo. Itaque & Polocienses, & quidam ex Calistio, nec pauci ex Vilna Nobiles clamabant, sed Rigenfes obstinatissimè. Quae fuit causa, cur Prouincialis Campanus Varsauiam se conferret. Clamoribus, querimonijs, calumnijs, tanquam vstitata iam fabula, nihil Rex, aut Proceres mouebantur: magis erant de Riga solliciti. Miserat ea Ciuitas oratores, qui primum omnium conarentur id obtinere, vt nihil apud ipsos Catholicum superesset. Si hoc expugnare nequissent, illud vtique extorquerent, vt Iesuita procul amouerentur. Et vni Oratorum, quo enixius cuncta moueret, duo & viginti florenorum millia serunt tradita. Igitur ita armati cum venissent, grauissimè declamarunt, prolessi (id quod inter Auditores fabula factum est) Iesuiticum se neque vultum, neque cultum posse aspicere. Illud callidè quoque ante curarant, vt negotium in supremos Comitiorum dies rejiceretur, quò breuitas temporis, consultantiumque fatigatorum, & abitum spectantium festinatio, deliberandi maturitatem adimerent: tantoque facilius tota res ad eorum arbitrium raptim, ac temere secaretur. Caterum mira obstitere constantia Catholici Senatores, & ardentissimis studijs. Dedit & suum libellum Campanus in publico recitandum confessu; in quo cum exposuisset, quid paucorum turbulentorum causa, Collegio, quod Stephanus Rex Rigae posuerat, tollerandum fuisset; iniuriarum capita exequutus, ad extremum Societatis nomine rogauit, vt veniam illis Rex, & Proceres benignè darent, vt & Societas ex animo omnes condonabat, & obliterabat iniurias. Tantum vellent, iuberentque Collegium in suam sedem, vnde per vim exturbatum erat restitui: ne iniqua vis comprobata videretur consilio publico, alijsque Ciuitatibus, & exteris quoque nationibus tale exemplum praerberetur. Committitur negotium certis ex conuentu delectis, in quibus Archiepiscopus erat Mackicouius, & Cardinalis Radiullus: è seculari ordine Cancellarius magnus, & alij, pars maior Haeretici. Hi & Religionis causa, & aequitatis, & ad Stephani defendenda acta, & Regiam autoritatem, vt par erat, in posterum quoque firmandam, sine dubio statuerunt Restituendum Collegium, & quidquid in eius tutelam, & con-

Soc. 50. A  
 comoda Stephanus decrerat, ratum, firmumque esse debere. Sub hac comitia solvantur: & quod quemque voluntas tulit Proceres dilabantur. Tum aduersarij postquam fauentium Collegio Senatorum, plerosque digressos videre, de integro adnituntur, vt causa extra comitia, in regio Senatu retractetur: nec destitit vociferari, clam, palam miscere omnia, quoad in illo Senatu statutum est, secularem parochum Rigæ collocandum, ne si Iesuitæ exosi nimium reuocarentur, noua motibus nouis alimenta suggererentur. Hæc vbi cognouit Campanus, sciens pro Regni more, talia Senatus Consulta rata non esse, nisi Rex approbator accederet: eique Senatorum audita sententia, integrum esse, quod videtur decernere, libellum ad Cardinalem Raduillum, cum Rege prandentem misit, conquerens modesta cum libertate, iam prope esse, vt Societas peius in Polonia, quam in Transyluania acciperetur. Videret certè ne Transyluanorum, & Rigenfium comprobare facta videretur, si illud ualere Senatus consultum vellet, videret quantam aperiret tumultibus portam. Quod extorsissent Rigenfes idem post paulò attenturos Derpatenses, & Polocienses, & alios. Quæ, & alia multa eiusdem generis ita Campanus, ea que mente scripsit, vt Cardinalis, quod is fideliter fecit, libellum ipsi ostenderet Regi: postridieque eum ipsemet Prouincialis conuenit. Respondit benignè, id fieri temporis causa: mox vbi quies rediisset, cuncta suam in ordinem reditura: suamque pietatem, ac prudentiam in eo Rex ostendit, quod cum ijs conceptum verbis decretum esset, per quæ Societas excluderetur, atque vicum Regi Sancti Iacobi templum redderetur, sua manu Monasterium Sanctæ Magdalenæ adiecit, formulamque ita correxit, vt ius Societati integrum permaneret. His quiddam interuenit, quod veram de Societate existimationem, dum tantum vbique exagitur, nudauit. Dum Sigismundus, & Maximilianus de Regno, seu pace disceptant, & Sigismundus Confessarium, & Concionatorem Iesuitas habet, item Maximilianus Sacramenti causa ab ducentis millibus passuum ad se Rectorem Fuldensem acersit, & super hæc vnus idemque Pater, qui inter Pacificatores à Sigismundo missos, rem diuinam promulgato Iobelo, & alijs studijs promouebat, ab alterius quoque partis, eadem apud ipsos curaturus accitur. His vere primo gestis Campanus de Rigenfi re sollicitus, Collegia Polonia, ac Lituania obiter visens, & ordinans, in Liuoniam pergendum sibi putauit. Miserat enim Legatos Rex, qui statum Rigenfis Ciuitatis componerent: inter prima mandatorum dare operam iussos, vt Collegium restituerent. In his duo erant studijs plane diuersi. Legationis Princeps Calvinista erat acerrimus: primus ab eo supremus Lituania Cancellarius, biennio ante vna cum coniuge ad Orthodoxos reuersus: qui quantum pro Ecclesia Dei, & Societate assumebat negotij, tantum ab hæretico oppugnabatur. Tria seditionis capita in medio foro sustulere, in quibus, & turbulentus ille Ghisus supremo affectus supplicio est. Exules Senatores, & Magistratus restituerunt in pristinum locum, & alia fermè redintegrarunt omnia, pacata omnino Ciuitate. At de restituendis templis Calvinista Legatus, non solum in vltimum curarum reiecit, sed etiam insidiosis vocibus instigare ciues nunquam cessauit, vt obsequiosos de cætero præstarent se se, in hac vna peruicacia perdurarent: ita demùm fore victores. Tum vt omnia funditus euerendi causa aliquid alicunde erueret, vetusta recognoscere occæpit priuilegia Ciuitatis. Cum reclamaret Campanus, & Societatis priuilegia clariora, & recentiora, atque adeo firmiora obiectaret, respondit nullam in mandatis fieri Iesuitarum mentionem. Quod ne esset obtentui, misso magis itineribus Socio suo Boxa ad Regem, qui Liuoniam, per id tempus peragrabat, nouum, apertumque impetrauit mandatum, de templis nominatim Societati reddendis. Caillari tum Calvinista (quod ipsum fal-

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. I.

III

sum

66

Subreptitiū aliud decretum furtim ab Hæreticis obtentum.

67

Querela de eo Prouincialis ad Cardinalem Raduillum.

68

Rex sapienter euidit spes Hæreticorum.

69

Principes inter se dissidentes in vtendo Societatis opera conueniunt.

70

Legati componendis Rigenfium rebus seditiones puniunt.

71

Calvinista Legatus religionem oppugnat.

72

Nec Regis mandato credit.

sum omnino erat) autoritatis plus esse in mandatis, quæ comitia condissent, in quibus nulla Iesuitarum mentio fieret, quam quæ dedit Rex. In summa id fore nouorum causam tumultuum in Ciuitate, ad quam missi essent pacandam. Porro toti erant Rigenses in eo, vt Colonicum nihil in Ciuitate haberent: priuilegia de ea re sibi amplissima esse dicentes, violata à Stephano Rege per fraudem duorum Ciuitatis. Nec factiosi Ghilij loco minus illo impotens, & acerbus existeret Secretarius Senatus. Ita obseptam Rigam cum Satan haberet, Campanum quæquam vehementer dolebat, nobilem adeo deserui Ciuitatem, tamen vt quàm minimo cum detrimento relinqueretur, nec Liouonia copiarum spiritualium quicquam decederet, de Collegio Vendam transferendo cogitare cepit. Inuitabat Venda non procul distita Ciuitas, post Rigam, ac Derpatum, Liouonia prima, & pacata, & per id tempus Episcopi Sedes, Rigæ vero cum presidium Polonorum inde deduceretur, Socij qui reddebant in arcem, post hæc, & minus erat affuturum quod agerent, & minus tuta salus futura, vt medios inter Hæreticos. His Romam perieratis, Rex ipse Rigam per Autumnum, facie haud modicè indignantis accedit. Nam cum in arcem diuertisset, inuitatus ad ineundam Vrbem, iam magnificis in eius ingressum spectaculis, & arcubus triumphalibus, instar paræis, dedignatus est ingredi; nec missa in arcem munera accepit, nec Ciues, & Senatores salutatum venientes admisit. Qui cum sæpius repulsi, tandem iussi spondere templa reddituros, aditum impetrassent. Primum gratulati aduentum eius, deinde obedientia cum donis delata; ad templorum causam postremo delapsi, dolenter, sancteque restant, quo minus ea reddant, se se conscientia prohiberi. Ad hæc indignandi Regis admonitu Procancellarius (is erat Episcopus Premisliensis Albertus Baranowski) quod gratulentur Regiæ maiestati, facere, ait, quod fideles populi solent, ac debent, Ciuitatem ipsam agnoscere suam, sed in qua quantum expectatus est fidei, tantum requirat obsequij. Munera esse Regi non ingrata, sed cum sua donent, gratius ei fore, si non retineant aliena. Tempora itaque statim ijs, quibus eripuerit restituant: quod nisi faxint, nullam sperent clementiam. Neque per Comitiorum sibi nomen blandiantur: nam & proximo in conuentu restitutionem mandatam esse, & ad vltimum, Regij hoc iudicij, non Comitiorum esse. Ad hæc consternati omnes, præsertim quod ad oscula manus vetiti erant accedere: cum breue ad colloquendum spatium peterent, ita est datum, vt protinus secundum prandium Regis, plane, ac disertè responderent. Dicta hora cum adiuuissent; Syndicus Senatus inde orationem exorsus, quod vt Populares, fides, & Obedientia, ita Regem Clementia commendaret. Quando ipsi obsequium Regi suo derulerant, æquum aiebat, vt vicissim Rex illis aliquid clementiæ impertiret. Id Stephanum, id priores antè cum Reges, id olim magnos quoque Theutonicos Magistros fecisse. Neque aliam se postulare clementiam, quam vt templa, quæ repetebat, Ciuitati dono remitteret. Nec tantam calamitatem inferri conscientijs, tantamque cladem communibus rebus pateretur, quanta, si templa illa redderentur procul dubio impendebat. Cum hic perorasset, prodijt in medium Ministrorum vnus oratione facta, & memoriæ ad verbum mandata; ita vt iussus rem in pauca conferre, etiam inter conuicia Cantilenam suam, ad finem vsque ferreo ore, fronte nulla cecinerit. Nec sine stomacho auditus, nec sine risu dimissus est: præsertim quod finiens duobus dignis Regi benedixit. Respondit Procancellarius: sanè fide, & obedientia populos commendari: ceterum Rigenses fidem Regi videri probasse, nullam autem modo obedientiam: proinde neque clementiam expectare debere, quandiu non respiciant: cum peccatum non remittatur, nisi restituatur.

73  
Cogitatur  
de Rigensi  
Collegio Ven-  
dam transfe-  
rendo.

74  
Rex Rigen-  
sem arcem  
ingressus  
Ciuium tam-  
quam Rebel-  
liam officia  
respuit.

75  
Idem obiur-  
gantur à  
Procancellaria

76  
Forum alle-  
gationes fri-  
uolæ, & con-  
tumaces.

77  
Iterum obiur-  
gantur.

tur ablatum. Expectanti Regi rem, etiamnum verba eos attulisse: si pergant in peruicacia, vias illum inuenturum, quibus ad officium cogat. Hæc, & multo acerbiora alia cum dicerentur, præsentè Senatu Regio, Senatoribus Ciuitatis, Tribunis, Ministris, & Ciuium plus trecentis, quotquot aula capiebat, Syndicus Rigenfium subiecit: Si Rex noster clementissimus, à nobis, vt respiscamus postulat, ergo spatium nobis simul indulgeat, quo agnoscamus erratum. Peti itaque Ciuitas Rigenfis, quam fieri potest infimis precibus, huius noctis reliquæ vsuram (erat enim iam altera hora noctis, & Rex postridiè discessurus summo mane) ad deliberandum cum populo, atque respiscendum. Cui Procancellarius; tamen clementiæ Serenissimi Regis abuti iam videmini, dum in re adeo aperta, ac iusta illum hic, diem totum, ac noctem tenctis, tamen nulla re vobis defuisse videatur, tantoque meliore consilio redire ad benignitatem eius possitis, en regia maiestas huius vobis gratiam facit noctis, non ad deliberandum, sed ad persuadendum male sanis, vt ea templa restituant, quæ nec Euangelici vnquam, nec Lutherani adificarunt, sed Catholici, ita tamen moram hanc donat, vt si obedienter imperata facerè, animum inducat, primo mane aditis, sin autem perstare in pertinacia vestra malitis, coram eius Maiestate nequaquam appareatis. Non enim deerunt illi rationes, quibus temerariam istam duritiam frangat. Vbi dies illuxit templum offerunt vnum, quibus respondit Rex, perinde hoc esse, vt si quis furatus chlamydem, restituere dimidiatam velit. Paulò post respondent, Senatum consentire, vt Regi templum vtrumque redderetur, sed oportere Concilium conuocare plebis, & apta persuasione eblandiri consensum illorum: alioquin vbi Rex discessisset, Senatores omnes in frustra concisum iri. Et quoniam Rex properabat Mittauiam, Ducis Curlandiæ Urbem, eò se postridiè responsum certum missuros. Hic Rex accersito Campano, quarit ex eo, si restituere ita Ecclesias velint, quemadmodum Varavia statutum fuit, vt Parocho, & Vicarijs sæcularibus traderentur; recipere nec ne deberet. Cui Pater conandum primo respondit, vt Iesuita nequaquam excluderentur: si tamen id obtinere non posset, omnino reciperet. Facilius enim mox ipsos è Catholicis recuperaturos. Iubet ergo Rex sequi illum Mittauiam, vt si forte Rigenfes Societatem exclusam omnino vellent, suam rite ipse protestationem interponeret. Ita Rex proficiscitur, omnibus indignantibus, tantum paucorum seditiosorum valuisse peruicaciam; vt ab Rigæ portis, neque inita Vrbe, neque porrecta vlli, vt moris est, in clementiæ pignus, manu, suum abire Principem, nunc primum ad eos aduectum, permiserint. Eadem vulgatâ contumacia, quicquid in Comitijs conati erant calumniatores Societati labis aspergere, in caput ipsorum vertit. Neque tamen finis hic fuit. Mittauiam deinde venit Secretarius Ciuitatis, nuncians, cum Senatores, & Consules iam regiæ se voluntati dederent, Ministros seditionem populi in eos concitasse, Itaque summopere orare, atque obsecrare, vt rem integram in Comitibus pateretur differri, Pupugit acriter responsum id Regem, iam verò palam illudi sibi existimantem, vt Campanum bonam spem iubens habere, non iam Societatis, sed suam omnino rem agi diceret. Omnes Catholicos hæc Regis constantia vehementer corroborauit, & spe bona compleuit. Rem autem omnem vbi Claudius Romæ cognouit, Campanum admonendum putauit, satis hætenus, superque tentatum; nihil præterea vrgeri Societatis nomine pateretur; primum ne qua grauioris tumultus caperetur occasio: deinde ne si Collegium ciuibus vsque eo inuitis reduceretur, nullus tanto perimpedio profectus extaret; cum Societatis industria, nisi pacatis, amicisque excipiat animis, frustrâ sit. Potius igitur, quod eidem in mentem venerat, de sede ponenda Vendæ cogitandum; vnde & in Rigen-

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. 1.

I I I 2<sup>a</sup> sem

78

Spatium deliberandi petunt, &amp; impetunt.

79

Templi tantum vnius restitutione offerunt.

80

Rex re infecta recedit.

81

Nova seditione Rigenfium, &amp; Regis in eos ira

82

Generalis vltimus tentari vetat.

83  
Multorum  
conuerfio-  
nes.

sem interim agrum, & aliquando etiam in Urbem posset excurri. Multi inter hæc toto Regno, in ijsque multi primarij ad Catholicam fidem reuocati: propagata vilitate etiam ad Populares eorum. Ita prope Poloniam Comes eiecta hæresi, cum oppida sua iam diu deprauata, purgare haberet in animo, aliquot Socijs impetratis, vnico quadragesimo ieiunij tempore, ad septingentos opera eorum Ecclesiæ reddidit, quinque templis, quæ iam trigesimum sextum annum ab Hæreticis tenebantur, inceri cultus ministerio restituitis. Magno fuit exemplo errantibus, in bonis solatio Palatina Voliniæ conuersio. Quæ cum filiam nuptum tradidisset Duci Nicolao Christophoro Radiullo, lape ante memorato, & hæc subinde errores deseruisset, nec multò post item filius eiusdem Palatina Rakouij Dominus, non modo ad Catholicam se pietatem recepit, verum etiam maximè eam foueret, tamen ipsa in errore perseverabat. Sed non ceciderunt irritæ preces, & vota honorum filiorum, & Genitri, & pij nostrorum conatus. Ad extremum diuinâ aspirante luce, deceptam se se nomine reformatæ Religionis, Caluinique dolis, agnouit: ac die Pentecostes expiata, octauoque post die inter Generum, ac filiam. Diuina mensæ particeps effecta; ac deinceps magno studio pietatis exercitationem sequuta, sexto mensè vitam finiuit; cum inter alia testamentum iussisset, in Oppido suo templum extrui, & Sacerdotem constitui, designato vestigali perpetuo. Crescere his Duci Radiullo animus: noua semper Niesuisiensi suo Collegio ornamenta conquirere. Noui iecit fundamenta templi, & in Comitijs curauit sedulo, ac tenuit, vt regio decreto, Senatusque consulto rata essent, quæ Collegio bonâ tradiderat, eaque immunitates, & vacationes onerum, quam optima conditione haberent.

84  
Dux Radi-  
ullus suum  
Niesuisiense  
Collegium  
auget.

In maxima varietate temporum, maior Vilnæ, quam optabilior seges, publicis seruiendi commodis, & incommotis fuit. Cum remissa superioris anni lues, initio anni consuetis muneribus repetendis magna cum gratulatione publica, maturitatem attulisset: iamque templum, & Gymnasium floreret, ac lætissimâ pompâ ingrediens urbem, receptus esset Sigismundus Rex, qui etiam Collegium inuisit, & eleganti dramati interfuit: tandem sub Iulium recrudescens malum, lætissimum eum cursum abruptit. Geminabat calamitatem, non iam penuria, sed plane inopiarum, sine quibus vita non sustinetur. Ex Lituaniâ prope totâ, ingens agrestium colluuiæ affluerat, quos ex oppidis, & pagis suis, vt fit, famines eiectos Vilnam compulerat, additamentum miseriarum. Habebat enim & suorum ipsa mendicorum numerosam turbam, ex ijs maximè, qui manu labore victum parare soliti, per intermissâ superiore lue commercia, ad vltimum miseriarum deuenerant. Itaque ex his, & rusticis admodum errantia per urbem, & cuncta stridore miserabili, eiularumque complentia. Commoueri his vocibus, his spectaculis famulorum Dei pietas: quodque in se opis esset expromere. Nulla cum essent prochoro-phia turbæ capacia, autores sunt Magistratibus, vt post refera vetera hospitia, in domum peramplam, quæ superfuit multitudo, conijceretur. sumptu publico assignato, idoneisque procuratoribus destinatis. Multum simul collectum stipis, ad leuandam eorum inopiam, quam pudor vitari prohibebat. Sodalitium misericordiæ, & mens pietatis excitata, quæ si perennes deinceps futuri fontes benignitatis, & patrimonia egenorum. Deindè cum pestilentia grassaretur, Collegij corpore in suburbanum prædium submoto, pauci custodiæ domus; agræ autem Ciuitati subsidio, & solatio quatuor Sacerdotes relictæ. Hi dum sui copiam omnibus faciunt, dum percursant urbem, quam pro suo numero in quatuor regiones distribuerant, egressi, prima luce, sacro peracto, nec nisi nocte iam obscura

85  
Pestis, & fa-  
mes Vilnæ.

86  
Subuentum  
à nostris ino-  
pia, & infir-  
mitati pluri-  
morum.

scura reuertentes, explicari non potest, quantum ferrent laborum, quantum pereuntibus ad aeternam vitam afferrent auxilij; quantum haberet charitas eorum, salutisque suae, pro aliena salute contemptio, admirationis, & gratia. Cumque sanctia pestis, fugatis opulentioribus, publicam quoque aggrauasset inopiam, per literas, per internuncios, sollicitarunt absentes, ex eorumque liberalitate opportuna corrassere subsidia. Neque interim ipsi plerisque Nobilium gratiam in Vrbe leuem retulere, data opera diligenter, vt eorum domus idonea seruantur custodia, ne per occasionem publici mali, aucta furacitate, nequissimis praeda essent. Aliquando etiam cum totius vrbis periculo grassanti incendio extingendo, duces, adiutoresque fuisse. Hunc spectantes opera fructum, in media quoridie morte versantes, intelligebant sine praesenti Numinis ope, fieri non posse, quin funestus torrens, tanta cum stragem rucas, tandem & ipsos intolleret: illud modo Deum orabant, vt si quidem moriendam sibi erat, vitae suae fructum, non tam sibi, quam tot omni ope destitutis, tantisper prorogatio, inter vltimos morerentur. Nec visa est sempiterna illa bonitas pia vota despiciere. Duo primum extincti, remittente iam malo, bidui spatio, Iacobus Galiskius, & Ioannes Vilsensis, quorum funera vix credere est, quantis lacrymis, quanto ploratu prosequuta sit inops multitudo. Tum institere, vt superstites duo aliquantum sibi parcerent, inque salute sua, saluti omnium confulerent. In templo aduentibus praesto essent: ita facilius inuentum iri, perfrugiumque ad eos, tanquam in certum portum, futurum; ita operam suam in plures multo disperserunt. Qui cum paruissent, nihilo minus suam operam, promptam omnibus habuere, nec ad extremum glorioso fructu bonorum laborum sunt fraudati. Decessit Iaroslania Martinus Huuialdovius, quinto mita Societatis anno: qui cum in Academia Cracouensi, professor esset haud obscuri nominis, & primarius in aede principe Divini Verbi tractator, ac summus ibidem Poenitentiarum, repudiatis super haec, & honoribus, & vestigalibus, quae ampliora, vltro deserebantur, cum omnium admiratione Cracouensium, humilem, pauperemque in Obedientiae sinu vitam praoptauit. Consecuti sunt, vt in hominibus aetatis eius, & grauitatis vsuuenit, magnis exordijs conuenientes progressiones. Nihil modestius, submissius, obedientius illo; nihil mitius, Deoque coniunctius. Itaque quamquam sero accitus ad vinea dominica culturam, quanquam exiguo spatio versatus in opere, iure adaequetur mercede operarijs, qui portant diei pondus, & aestus.

Ex Translyuanico exilio Sociorum plerique in Poloniam rediere: pars in Austriam, quinque in Moldauiam missi. Stephanus Arator & Matthias Thomanius in Hungariam transiere, cumque vt in summa hyeme ingenti frigore, & niuosis procellis congelascerent, morbum inde Matthias ad Kisuarda contraxit, vnde & paucis diebus extinctus est. Adfuit illi summa caritate Arator, cumque moribundo Sacrum Viaticum porrexisset, repletus ille gaudio, Pater Stephane, inquit, lucrati sumus vitam aeternam. Cui Stephanus: quidni lucraremur, qui pro Christo, eiusque Sacrosancto Euangelio exilium hoc seuisimo tempore toleramus? Haec ipsa addit: Hunc ego, si liceat dicere, iudico esse martyrem, cum relegatio propter fidem, & mors in exilio obita, videatur ad martyrium sufficere. Corpus eius idem vehendum curauit in oppidum Lelesium: ibique in templo Catholico, decore funere, cui Episcopus ipse Lelesiensis cum suo Clero interfuit, sepeliuit. Erat Thomanius natione Hungarus, ineunte anno 1569. in Societatem Viennae receptus. Ex eo tempore partim discens, partim docens literas, partim alijs ministerijs, cum Societatem, tum proximos iuuans, recto cum exemplo, & nomine vitam

87

Periculis rapinarum, &amp; incendiis occursum.

88

Duo extincti pestilentia.

89

Mors Martini Huuialdovij.

90

Eius virtutes.

90

Matthiae Thomani obitus, ex in commodis exilij Christi causa iudicij.

91

Summa eius vitae.

vitam exegit. Obijt 7. Kal. Martij, annum ætatis duodequadragesimumagens. Arator apud Episcopum Lelesensem hyeme in sacris concionibus posita, inde latè discurrens, totam Imperatori subiectam Hungariam Evangelio implevit. Ioannes autem Lelesius, cum longius iter, sub horrida tempestate, valetudo eius perditâ minimè toleraret, in viciniam arcem Kuyuar delatus, vsque ad autumnum in ea cum Marco Siscienturij pietas, vxorisque eius, ac filiorum. Marcus (nam Lelesio satis erat negotij, tolerandis morbi doloribus) non solum Diuina mysteria, sed Verbum Dei strenuè diuidebat prædicatorijs militibus. Multi etiam vndia confluabant. Cœpit deinde vereri Lelesius, ne illa adeo in proprio quo commoratio, in Sigismundi Principis, perniciem traheretur. Non enim dissimulabant Hæretici esse sibi intolerandam. Præterea falsis toto eo tractu rumor increbuit, Claudium Generalem Romæ demortuum. Quæ cum restitutionem in Transyluaniam omnino in longum dilatum iri promitterent, Lelesius cum Socijs in Hungariam, inde in Austriam venit. Multa multis locis agitabantur consilia, per quæ reuocari Societas posset. Transyluani enim Catholici omnes magni iuxta, ac patriui, omnibus precibus obtestabantur; ne causa desereretur. Non detrahi qui vehementer suaderent, vt Turcici Imperatoris interponeretur autoritas. Tantam enim per iniuriam, quæ donarant iusti Principes erepta fuisse, vt haud dubiè ille ipse Tyrannus, iussurus esset reddi, si auxilium eius imploraretur. Multique ad id operam suam, & præcipue Bartholomæus ille Brutus è Moldauia, satis in Constantinopolitana aula gratiosus, deserebant. Neque absurdum videri debere, si via eiusmodi tentaretur, cum ad profectum Euangelij Paulus ipse Cæsarem appellasset. Cæterum non eo redactam causam existimauerunt Patres, vt talibus nihil molimentis deceret. Sperabant potius, vbi plus nactus esset virum Sigismundus, & aduersariorum deseruisset inuidia, certiorum, mollioremque patefactâ per ipsosmet Transyluanos viâ, reditum fore; dabatque non obscura huius rei Sigismundus indicia. Nam vt abiere Socij, venit ad eum Agriensis Canonicus Martinus Vndo, qui certâ causâ ab Societate dimissus, singularem aduersus eam obseruantiam, conseruabat; ac velut caduca poma, sæpè arborem, vnde excidere, opimant; sic ille in præsens Ordini, ex quo effluxerat, peropportunam nauauit operam. Grauem Sigismundo religionem iniicit, quod in sacrorum virorum eiectionem, adeo infamem, & sacrarum facultatum tam iniquam ereptionem, consensisset. Non modo fraude maximâ, maculasse eum conscientiam, talia comprobando; sed etiam anathematis grauissimi se se induisse laqueis, vnde nisi Pontificiâ autoritate expediri non posset. Momordit bonam Principis mentem, iniectus scrupulus. Exarat furtim literas in Urbem, ad Claudium Generalem, purgans factum omni verborum modestiâ, impensèque rogans, vt paternum aduersum se obtinere animum perseverans, velit Cardinalibus manifestum facere, quantâ vi adactus sit, vt tempestatî illi cederet. Cum Patre verò Sanctissimo, & illud non graueretur agere, vt se se anathemate, quo dicebatur irretitus exolueret. Adiecit ad ipsum Pontificem, cum Societatis luculenta prædicatione literas; ob studium, quod in restituendâ religione benè, feliciterque ponebant, eiectos fuisse contestans; & alia pietatis, & Doctrinæ eorum præconia. Mirum dictum est, quam hæc literæ ad Sixtum in tempore delatæ sint. Quidam Michael, vt Cardinali Batoreo, nihil tale, vt credere æquum est, requirenti, aut probanti, gratum faceret, scripserat ad Pontificem Venetijs; eiectam Societatem, quod compertum esset, id clanculum eam moliri, vt in potestatem Austriacorum, Transyluaniam traderet. Hanc impudentem calumniam

92

Aratoris, &amp; Lelesij peregrinationes.

88

93

Confilia varia de restituenda Societate in Transyluaniam.

94

Martini Vndonis dimissio à Societate vtilis opera ad nostram restitutionem in Transyluaniam.

95

Litera Sigismundi Principis ad Generalem Societatis. Et ad Pontificem in laudem Societatis.

96

Calumniæ impudens tempestiue reuincta.

niam sperasse dicitur Michaël vtilem fore, Cardinali, ut ei Pontifex tanto pronius per amplam in eas oras potestatem permitteret. Pontifex certè, multique ex Romana Curia, nec pauci Venetijs, vanissimam illam expulsionis causam, pro certâ, compertaque sic arripuere, ut tempestas ingens inuidiâ, in totum Ordinem coarretur. Nam quamvis posset ex facili, inde redargui turpe mendacium, quod cum hæretici viderentur, conquirerent, eruerent, accerferent, vel simulacra causarum, ne viderentur vnus religionis odio eiecisse, nullum ne vestigium quidem eius fraudis, nullam suspicionem attigerant: tamen calumniatoris autoritas, omni rationi præponderabat, quod intima ille negotij penetrasse putaretur. Hoc igitur gliscente sermone, ad Pontificem Sigismundi literæ perferuntur, quæ sic opinibnem eius priorem detertere, ut ipsemet rescripserit in Poloniam, magnâque cura Societatis innocentiam defenderit. Fecit quoque, rogante multum, ac spondente pro eo Patre Generali, Principi potestatem deligendi Confessarij, à quo salubri decreta poena, absolueretur, grauius monens, ut omni conatu, ad Societatem restituendam insisteret. Interim in Moldauiâ multiplicatis Operis, latius res gerebatur, non tamen cum optato successu, excitatis aduersus Principem Petrum tumultibus, Valentius Ladus vnus erat ex ijs, qui è Transyluaniâ recens aduenerant. Is plurimum omni Sacerdotis strenui laborabat munere, atque proficiebat. Agebatur de Claudiopolitano Seminario, Lublinum, aut Varsouiam transferendo, in quod Transyluani, & Moldaui recipebantur. Hac enim re laboranti Moldauiâ, absque noua impensa videbatur posse succurri. Verum ut Pontifex aliâ potius, quam huiusmodi Seminariorum viâ succurrendum Ecclesiæ iudicabat, statimque ut nostri Claudiopoli discessere, consuetas Seminario pensiones intermisit, consilium non processit.

Austriam Prouinciam Augusto ineunte Bartholomæus Villerius susceptus designatus ante fuerat Federicus Bransbergensis Collegij Rector, sed pro temporum statu, minus existimatus est idoneus fore, quod è Polonia regno accerfebatur. Ex recenti Crumloviensis Collegij successu in Boemiâ, orta est occasio Commotouiensis. Georgius Popelius à Lobkouiz in Regno Boemiâ, potestate secundum Proregem primus, inestit initio anni, ut in eam Ciuitatem aliquot Societatis operæ mitterentur. Est Commotouia inter Ciuitates regias nobilis, loco peropportuno ad defendendam, & propogandam Religionem, à Dresdâ, vbi Sedem habet Saxonum Dux, decem milliarijs Germanicò modo, duodecim Pragâ distans. Vndique autem multis, & magnis cingitur oppidis. Quò igitur aptior magno profectui locus erat, eò libentius ad laborem accersum est. Ipse Georgius Baderus eo tempore Prouincialis, gemino Sacerdote, & Laico Fratre deductis, operi manum princeps admouit. Colapsa penitus erat antiquæ Religionis dignitas, & Sanctitas. Salutaris figurandæ Crucis consuetudo, aquæ lustralis vsus, obliterata erant. Omnis baptismorum priscus ritus abolitus. Nulla campano are salutandæ Deiparæ admonitio. Hac & alia non magno opere, è sententiâ restituta, præcipua cum populi admiratione, ad solennes baptismorum ceremonias, quas vbi primum videre, tanquam exitiale quiddam exhorredebant. Interdixerant obstetricibus hæretici Ministri, ne quem infantem domi, quamvis præfenti mortis periculo baptizarent, grauisimâ constitutâ poenâ. Quippe cum ad ritus Ecclesiæ adiciendos, quos illi succederent, nullum inde lucrum restabat. Malebant autem boni Ministri, perire infantem sine baptismo, quam suum ipsis perire lucellum. Hæc quoque exitialis sublata lex, coercitaque Ministrorum auaritia, ne ex æternis innocentium periculis, quæsum fatanicum facerent. Denique ad

pri-

97  
Pontifex scribit in Poloniam pro Societate. Et eius restitutionem Transyluaniæ Principi commendat.

98  
Fructuosi labores in Moldauiâ.

99  
Seminarium Claudiopolitanum extincum.

100  
Commotouij Rex ad morum, & religionis restitutionem strenue, ac feliciter gesta.

101  
Designatur  
Commoto-  
ria Colle-  
gium.

102  
Michaëlis  
Cardanei  
vultus in Mi-  
stronibus la-  
boret.  
Et mors pie  
obita.

103  
Templum  
Ingolstadij  
consecratum  
magna pom-  
pa.

104  
Narcissi Stri-  
glij mors fe-  
lix.

105  
Ratisbonen-  
sis Collegij  
initia.

priscum pleraque correcta morem, non solum in Vrbe, sed in vicinis quoque ad quæ subindè excursus est, locis. Quæ initia inflammaverunt scilicet Popelium, nihil ut magis timeret, quam ne, cum prostrata ætate iam esset, antè vitæ lumen amitteret, quam Commotouæ Collegium iustum videret; ad omnia, quæcunque forent opus, sine exceptione vlla paratus. Michaël Cardaneus post Furstemfeldensem missionem feliciter obitam, in vicinam Artpergensem Civitatem, Caroli Archiducis mandato concessit: vbi eum adiuuaret sua autoritate Princeps, & ante omnia faueret è Cælo Deus, ad legitimum Synaxeos ritum, omnes reuocauit; præter vnum, aut alterum residuos, veluti ad testimonium prioris erroris. Poëtouium inde contendit, vrbem nobilem ad Dragunum fluum sitam: vbi cum tenuiores opinione communi reliquias sinceri cultus inuenisset, non despondit animum. Iamque sexdecim rectæ fidei restituerat, cum Græcium sibi ad eundem existimans ad inceptorum effectum, morbo in via correptus est, eoque anno insequenti consumptus. Ab anno 1561. in Societatis disciplinâ modestè, ac religiose versatus, cum præcipua dote, hæreticos ad fidem alliciendi, Vir, qui multum edificare destrueret nihil.

Ingolstadij consecratum est Collegij templum 4. Kal. Nouembrij solenni cæremonia, quam ornatu multiplici Poëtarum cohonestarunt ingenia, haud sine pictura. Accessit à meridie, & Orator Ferdinandus Gualtheri Bauari Ducis filius, qui celebritatem eo exhilarauit lætus, quo tenerior eius ætas, in quadam prope maturitate sapientiæ, gratiam maiorem habebat. Data simul in arca Collegij Conuictorium Tragedia, Iezabel, & ipsa mirè spectantibus, non grata modò, sed etiam iucunda. Nec ignorari debet nomen eius, qui primus templi eius sepulchrum, quarto post die suo corpore dedicauit. Is fuit Narcissus Striglius, in ætate hore consummata virtutis. Die Sanctorum omnium, quorum insignis imitator fuerat, ad beatam eorum Societatem excessit; Theologiam, quam ab Philosophico stadio ingressurus iam erat, in cœlesti Academiâ, non aure, sed oculis percepturus. Ratisbonense Collegium, quarto antè conceptum, hoc demum absolutum est anno. Monasterium Sancti Pauli, à Beato Vvolfango, quondam eius vrbs Antistite conditum, de quo ad Societatem transferendo, cum prope vacuum Sanctimonialibus factum, esset, agebatur, autoritate Pontificis per solennia acta Prouinciali Alberto suscipiente traditum est, tertio Kal. Martias. In sacrâ suppellectili inter cætera calix erat, & vestis, quibus ipse Beatus Vvolfangus, ante sexcentimum annum sacrificans, utebatur. Octobri dein mense, in quatuor scholis, literarum disciplina peruulgata, cum & iuuentutem, quam adhuc sedulo erudierant Religiosi Scoti è Benedictinorum familiâ, eodem contribuissent. Cum ad hanc diem Vendelinus Volchius rudimentis Collegij præfuisset, absolutum iam Simon Hiendlius cum Prorektoris nomine primus administravit. Multa de more gesta peregrè in oppidis, pagisque cum emolumento publicæ pietatis. Nec inutilis Lauingana quædam velitatio fuit. Lutherana Civitas, & Academia, Lauinga est, haud Dilingâ procul. Hic theses quasdam hæretici Theologiæ Doctores, aut corruptores, cum aduersus bona opera disceptandas propoluissent, eorum exemplar vnus auditorum ad Andream Syluium, Theologiam item Dilingæ docentem mittit; gratum fore multis adnuntians, si Iesuitarum quisquam eò disputatum accederet. Fortè aderat Dilingæ Gregorius de Valentia, deductus à Prouinciali ad nonnullam ex continuis laboribus quietem, cum proximè scriptis Sadelum & Krellium hæreticos confutasset. Ambo igitur ad diem Lauingam occurrunt Gregorius, & Andreas, qui vbi in Academiâ conspecti sunt, qui essent noscitantibus multis, admiratio omnes primò ingens defixit, tum admurmuratio consequens.

ta est; postremò ad expectationem arrecta mens. Cum à Præsidi non inuitarentur, ipsi tandem inuitatos se se proficentes, transmisso quaestionum indice, modestè sibi quoque fieri disputandi copiam postulant. Post multas tergiuersationes tandem potestas facta, & ut erant causa superiores, ita ambo disseruere, ut laudem ab aduersarijs quoque reportauerint. Magna in primis utebantur modestia actionis, & orationis, sine iurgijs, sine clamoribus, nodos dexteritate quadam subijciebant soluendos, in quibus frustra laboraret ingeniosa calliditas. Eò demùm Gregorius adegit Præsidem, ut profiteretur se de ijs, quæ proposita erant, plura cum ipso priuatim velle conferre: qui implicatus insolubilibus nexibus, dum frustra eluctatur, inter alia multa, quæ ad effugium absurda effutiit, etiam dedit, necessariam ad salutem fidem non esse. Disputationes huiusmodi in Academia, vbi ferè homines intersunt haud planè rudes, exitum pro veritate feliciorum sortiuntur, quam quæ spectante, iudicanteque suscipiuntur vulgo. Nam cum multitudo rationum momenta vera non possit expendere, eum solet iudicare victorem, quem audaciâ, impudentiâue viderit superiorem. Nec desunt hæreticis artes, quibus eludant ad vulgus vim veritatis, & suas venditent nugas. Deinde etiam exitum, utcumque cesserit, pro libidine sua euulgant. Nam qui pro mendacio certant, quid pensi habeant in exitu concertationis narrando mentiri? Eam ob rem, cum Ioannes Pistorius, de cuius conuersione supra narraui, disputaturus contra Schmigelinum coram Marchione Iacobo Durlacensi, qui ad Catholicam Religionem propendebat, petisset, ut vnus è Societate secum adesset, eò Præpositus Generalis inclinabat, ut nequaquam concederetur. Nam latissime expectationem concertationis eius fama distulerat, multique ex longinquo dicebantur sacri, ac Profani Proceres affuturi. Quamobrem si quis è Societate in eum locum producendus esset, non existimabat Claudius inconsulto Pontifice aleam subeundam: neque Pistorius grauatè rem tulit, qui cum certamen indicens, mentionem Societatis Patrum inferuisset, quia nunquam eorum hæretici in responsione meminerant, ita rescripsit. Quia Patrum Societatis, & Rectoris Molsheimiensis (is erat Theodorus Bulaeus, nominatim ad id certamen petitus) in vestris codicillis mentionem facere non dignamini; & interit mira spargitis, quod sine ipsis, non audeam; ecce solus nullius hominis, sed Dei solius auxilio fretus vobiscum congregiar. Sed deinde, & habita disputatio est, & Bulaeus interfuit, & Marchio, uti referetur, conuersus est.

Iacobus Erfelderus, ante Theodorum, Molsheimij Rector, initio anni Rhenanae Prouinciæ administrationem suscepit, Oliuero Manaræo ad regendam translato Belgicam. Herbipoli noui ædificationem Collegij, Antistes Princeps, septimo Kalendas Iunias rite sacratio, &posito primo lapide inchoauit. Vbi cum aliàs, prout suggerebat animus, concepisset ad Deum preces, conatus, uti mos, fortunare dignaretur; conuersus ad Erfelderum Prouincialem, qui aderat: En Patres, inquit, quod meæ potestatis est facio; Vestrum posthæc erit ad felicem progressum, & exitum hæc incepta perducere. Vos mihi adeste vestra diligentia. In me môra nulla erit. Nec promissa supra rem fuere. Dedit enim operam, ut ædificatio, quanta fieri celeritate posset, procederet. In hac Prouincia, multæ extra Collegia stationes erant, ac fere vbique inter graues hæreticorum concertationes. Erfordia maximè vna cum Catholicis Michaël Schillingius, & Petrus Teneramundanus, exagitati. Sed Petrus initio ætatis ob tumultus, & inualetudinem auocatus, Moguntia vitæ innocentissimæ finem imposuit. Michaël interim Erfordia non suggestu modò, sed publico etiam diu caruit, in Moguntini Antistitis summoctus ædes, intra quas ab impetu multitudinis circumiectâ noctes, & dies

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. I.

K K K

custo-

106  
Andrea Syl  
uij, et Gre  
gorij de Va  
lencia dispu  
tationes La  
uinganz

108  
Pistorij fidu  
cia in concer  
tatione cum  
Hæreticis su  
scipienda.

107  
Ædificatio  
Collegij  
Herbipolen  
sis.

109  
Turba Er  
fordienses.

custodiâ tenebatur. Quippe Senatus aduersus Clerum coortus, multa Religionis noxia postulauit; interque cætera, vt Concionatores omnes loca mouerent, quibus ordinaria stipendia non præberentur; hac scemula Michaëlem notabant. Inde motus origo dicitur extitisse, quod Præsul Moguntinus ad Pascha, quod instabat, Clero imperauit, vt communem susciperent. Quam rem è Clero factiosi quidam, & sacra exco- iniquè ferentes, Senatum concitarunt, & Societati constarunt inuidiam, tanquam suafu eius mandatum Præsul edidisset. Inde igitur cessandam à publicâ dictione Michaëli fuit: neque licuit, nisi qui furim accedens, sacris Catholicos impertire. Prorsus locum deserui Antistes uerit, meliorum expectatione temporum, præsentem asperitatem consolans. Dicitur ipsemet Diabolus denunciassè antè, exciturum se se hos motus. Saxo enim quidam à puero Catholicus, dum è malo codice, constanda artem pecunia cupit addiscere, iamque ad experimentum faciendum, rus accedit; incidit in quemdam, quantum species præferabat, hæreticum, qui vltro promisit breui illum locupletissimum fore, si sibi obtemperaret. Saxo ex genere ac liberalitate promissi, suspitione perstrictus; tu verò, an ne es Diabolus? inquit, cumque alter se esse affirmaret, vehementer territus, frontem Cruce armans, Christianum se esse, nec velle quicquam cum eo habere commercij contestatur. Non tamen impune tulit periculosa artis inceptio. Multa à Diabolo perpassus, per aquas, per aspreta, per loca abrupta raptatus est. Sic hominem Deus volebat, per corporis vexationem, cautiorem ad anima custodiam reddere. Interim constantiam ei, & bonam mentem tribuens, vt ad Michaëlem consilij, & auxilij causa se conferret. A quo Sacramentorum adiutus præsidij, & edoctus, quid grauissima minitanti Dæmoni responderet, dum se ad sacram aliquando Synaxim pararet, atque ille id si faceret, vel in medio populo viuum discepturum minitaretur. *Mihi, inquit, illud est vnum in votis, vt Dæi fiat voluntas. Proinde non recusem. Ego, si Deus id velit. Quam modestiam contumacissima bellua nequaquam terrens, frendens multum, atque denuncians, se exorsurum telam, quam Michaël non ita facile detexeret; odore relicto teterrimo, euauit. Subinde, quem dixi, motus coortus est. Aquisgrano discessum est, & præclara accepta anni superioris abrupta, haud sine nostri culpa Concionatoris, qui in vitijs Cleri castigandis iusto liberior, suos, & Sociorum labores, perdidit. Quæ attendere exempla necesse est diuino operi destinatos, vt cum Apostolo omnia ferre parati sint, omnia facere, ne quod Euangelio offendiculum ponant. Vocula vna inconsideratius missa instar scintilla est, quæ sæpè magna parit incendia. Modestia, & aduersus omnes verecundia tuta vbi- que, & amabilis, eoque fructuosior, quod quantulumcumque proficit, sine impendio quarit, sine periculo seruat. Quod si culpa abest nostræ recti operis testimonium est, improborum insectatio. Ita fuit Ioanni Ham- mero Goslariensi, sua Hildesij patientiæ leges. Primarius enim ministrorum, dum aliter (vt in Catholica Ciuitate) nequit, lacerare eius famam libellis famosis coepit: causam suscipere vltro Canonici, tacente omnino Ioanne: neque criminatores nisi rationibus suis, & fame obsuit. Et Pater, aduersarij nequitiam, suam prudentiam faciens, nihilo posthac minore conatu, & acriore prouisu in causam pietatis incubuit. Fuit & Spiræ nonnulla trepidatio. Nam Ciuitates libera in contentu, quem Ulmæ habuerant, dicebantur statuisse, omnem mouere lapidem, vt Iesuitas Urbibus suis excluderent, ac proinde nolle tueri Clerum donec Iesuitas ille dimitteret. Existimabant prudentes, hæc ad seditionis materiam, & ad Cleri totius vexationem, atque pollutionem inuenta. Hoc itaque enixius Spiræ, alibique, tuenda Societatis Clerus curam susce-*

III  
Illas Diabolus prædixerat.

III 2  
Disceditur Aquisgrano, imprudentia Concionatoris nostri.

III 3  
Hildesij Calumnijs impugnatæ nostri veritate defenduntur.

III 4  
Trepidatio Spiræ.

Soc. 50. A

pit; sed nihil præterea ab aduersarijs est motum. Inter hæc difficultatem & in Frisiam apertus est aditus. Verdugus Prouincia eius Praefectus, vir & Catholicus, & admodum pius, cum ad aliquot vexilla praesidiariorum militum excolenda auxilium postularet, Henricus Sammerius missus est Groëningam; simul à Verdugo iussus de ratione inducendi illuc Collegij, alendique dispicere. Eò cum peruenisset, quam solum ferax, & regionem pecore, ac lacte abundantem reperit, tam quod ad Religionem pertinet, omnia horrida, ac deserta. Vix vsquam supererat Sacrificij vsus, nisi primarijs in vrbibus, vbi tamen sine vlllo cultu, ac reuerentiâ peragebatur à Sacerdotibus passim maritis, Catechismi, ac scholæ hæreticorum quamplurimæ. Cuncta ferè ab ijs quoque, qui Catholicos se vocabant, adeò Sectariorum fiebant more, vt agre plebs Catholicos inter, & hæreticos ritus agnosceret. Exceptus est autem Sammerius, & cum omni honore habitus, quò alacrius ille protinus se in gentis utilitates effudit. Continuo primores de aduocando Collegio ceperunt agere, deserta ad id domo, quæ olim Fratrensiu fuerat, destinata; Templo etiam insigni, & aliquanto pecuniâ. Tum Verdugus, & Senatus Groëningensis, communi decreto ciuium, Syndico Ciuitatis missos ad Parmensem Ducem, & Consilium Regium insinere, vt res ad exitum primo quoque tempore perduceretur. Ita inter cæteros Dominicanorum Prior magnæ autoritatis, vir doctus ac prudens, causam suscepit, vt etiam voto se obstrinxerit, eam rem omni studio promoturam. Inter hæc Sammerius, vt Prouincialem coram edoceret, ad quem etiam publicas ferebat à Ciuitate literas, Coloniam venit, dumque cum responso Frisiam repetit, adiungere se se aliquot cohortibus idem iter habentibus voluit: nam cum infesta essent itinera, optandum erat praesidium. Verum cum milites assequi nequiuisset, apparuit id Diuinâ prouidentia factum, ne vbi magis tutum se se putabat fore, ibi exitium inueniret. Nam Martinus Schinkius, aduersarum partium dux acer, ac strenuus, impetu in Regios facto, multos occidit: nec multo post homo impius, dum Neomagum tentat, dedit impietatis, ac temeritatis poenas. Sammerius autem cum ab ea victoria hostiles copias licentius circa volitarent, penetrare in Frisiam prohibitus, ad quindecim dies errabundus, per noctes iter faciens, Coloniam tandem sospes vndè abierat, se recepit. Non ita, si humano interpretamur modo, feliciter cessit Henrico Valpolo, quamquam melius quiddam de eo prospiceret Deus. Is ad Anglorum militum culturam, non multo ante missus, cum Brugis Contracum venisset ad Prouincialem Oliuerium, quadam communicaturus, dum postridiè eandem relegit viam, antequam perueniret ad locum, vbi excipiendus erat à militum praesidio, in manus hostium incidit, vna cum simul euntibus quatuordecim. Nunquam eo loco à quatuor annis, neque post hostes conspecti, vt appareat ei propriè instructas insidias, quibus fortè locum ipsiusmet simplicitas dedit, quod aurigæ, cuius in curru venerat, dixit, vt item redituro, sibi locum seruaret. Vlissingam toto itinere cum honore, & multa humanitate habitus, abducitur, permissus pro voluntate psalmos, ac Rosarium recitare, & alias facere preces. Egere cum eo statim de Religione omnes Vlissingani Ministri, quos pia viri consuetudo, & eminens tota in vita Sanctitas ita coepit, vt attestarentur omnes virum bonum esse. Guilielmus Stanlaeus Eques auratus, & ductor Anglicanæ legionis, qui ad suam, sui que militis utilitatem Valpolo utebatur, multumque hominis virtutem colebat, grauissime casum ferens, omnem coepit viam circumspicere, vt in libertatem eum affereret. Hostes lytrum taxauerant florenos mille. Quod nisi expediretur, cætenas, tormenta, & Angliam Henrico minitabantur. Quotidie autem conueniebant Ministri hæretici, alijque, quibus suæ Doctrinæ, & Religio-

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. 1.

K K K 2 nis

115  
Miserrimus  
Religionis  
status in Fri-  
sia.

116  
Agitur de  
condendo  
Groëningæ  
Collegio.

117  
Sammerius  
Diuina pro-  
uidentia ser-  
uatus.

118  
Henricus  
Valpolus ca-  
pitur ab Hæ-  
reticis.  
Eoque suis  
virtutibus  
capit.

nis cogebatur rationem reddere. Quod etsi fiebat ad eius tentandam constantiam, non paucis tamen in salutem cedebat, referentibus lucem dum tenebras conantur offundere. Interim Anglus quidam Ducis Guilielmi Stanlæi tribunus ad hostes transfugit, & caprum audiens Valpolum, cœpit voces spargere, fuisse eum euerforem Anglorum, Stanlæo familiarum, & consiliorum, quæ is contra Angliam moliretur, omnium consilium esse. Itaque nullo reddendum pretio, sed omnino auhendum in Angliam, & exprimenda ex eo Stanlæi consilia. Hæc quamvis multum vociferatur, quia tamen maturior ad supremum certamen referabatur miles Christi, & repræsentata in tempore, pietate Catholicorum, pecunia audiratem grassatorum exacuit, initio insequentis anni dimissus est liber: adeo auctus sanctitate, & ardore spiritus, ut plane apparet excoctum eum, & inflammatum in fornace tribulationis: neque tam inter hæreticos, quam velut in quadam Martyrum schola fuisse verissimum. Hunc ardorem, & Oliuero literis, & Patri Generali cum significasset, Claudius ei respondit his verbis: Auxit deinde etiam gaudium nostrum, Reuerentiæ Vestræ epistola, & animus, quem ea epistola ostendebat, ut hoc beneficium Dei manu, quemadmodum debebat, acciperet; & ita acciperet, ut se Deo, & Societati restitutam arbitraretur, ac propere tantam voluntatem ostenderet, impendendi se totam diuino obsequio. Hæc igitur voluntas, ut plane iusta, Deoque debita est, ita precamur, ut Vestra Reuerentia in ea crescat, suosque deinde fructus ferat. Quæ Patris Generalis vota, quam non in irritum ceciderint, gloriosus tempore suo describendus triumphus ostendet. Quo loco, & alia quedam de hac captiuitate reddentur. Oliuero cum in prouinciam venisset Belgicam, domesticas res satis bono inuenit loco. Iam controuersia Louanienensis confederat, nec quisquam è Doctoribus auctor volebat eius videri: quin potius singuli significabant, tædere ipsos incepti. Nullum enim molestius, quam cum Riccardo Batzono negotium. Is Anglus generis, fuerat initio Personij comes in Anglicis rebus: dein multa egerat Auerturpiæ bona, quæ ad extremum omnia, dum fines audet transire, corripit. Venit Romam, nauigauit in Angliam, peragravit Belgium: arcana sibi esse demandata negotia dicitans, ab Sancto Quæstorum Romanorum Consilio. Per hoc nomen dabat literas, ad quos libitum esset; pecuniæ multum tractabat: etiam ubi Collegia forent Societatis, alieno utebatur hospicio, nec satis apparebat, quo Confessario vteretur, quando faceret Sacrum. Quæ res præter curam, quæ de anima eius periclitante, merito Præsides tangebant, exemplique, & scandali perniciem, eo etiam plus habebat periculi, quod Quæstorum nomen, ut omnium Belgicorum semen tumultuum, totam Societatem suspectam in ijs Prouincijs, & execrandam facere poterat. Has ob res Generalis Præpositus, cum Cardinales Sacri Tribunalis alloquutus esset; illi quidem primò mirati sunt tantam per eorum nomen assumi à Batzono licentiam; diserteque denunciarunt suæ voluntatis esse, ut in officio, Præsidentumque obsequio, perinde ac ceteri, teneretur. Quod si qua in re vti vellent opera eius, admonituros Generalem Præpositum. Absurdum enim esse nescio cui vni è numero arcana committi, quæ latere Generalem deberent; plusque fidei gregali homini esse, quam Duci. Quod si corrigi aliter non posset, tum Claudius iure suo vteretur. Nec sane aliter sanari malum, quam membri sectione potuit. Franciscus Costerus procuratore Prouinciæ liber, quo plus habuit otij, hoc impensius in remedia animarum se se impendit. Ciuitas Hassletum erat, quam hæretica pestis, eo diuini depasciebatur, quod Pastor ipse doctus cateroqui, & eloquens, pro lupo se se gerebat, & habebatur. eo ab Electore Ernesto (est enim Diocesis Leodiensi Hassletum) ad dicendam causam Leodium accersito,

119  
Pretio à Catholicis soluto liberatur.

120  
Literæ ad eum Claudij Generalis.

121  
Riccardi Batzoni irreligiola vita.

122  
A Sacris Quæstoribus quorum autoritas se tuebatur, deferitur. Et è Societate dimittitur.

ne Populus omni spoliaretur Magistro, eiusdem Ernesti postulatū, Costerius Hasselctum contendit. In summo templo duo erant Sacerdotes, alter admodum iuuenis, alter omninō idiota; neuter idoneus Confessionibus audiendis. Reliquā in Ciuitate in Cœnobijs quibusdam quatuor omninō numerabantur. Itaque in tanta raritate cultorum, facilē est intelligere, quam esset neglectus ager. Per anni superioris aduentum, & huius quadragesimam, Concione, Catechismo, Sacramentis, vnus multorum vicem Costerus obiuit, ab longo tempore nusquam audita, qualia ipse diceret populo contestante, quamque habebat necessariam, tam auidē excipientē culturam. Edocuit paucos illos Sacerdotes Quæstiones conscientiæ, deditque operam, vt Pastor ab Doctrina, ac pietate sufficeretur idoneus. Inde etiam scribendis libris causam publicam institit adiuuare. vtque præmuniret Catholicos, exarmaret hæreticos, Antonio Sadeelo, quem & Valentia confutarat, respondit hæretico nobili, qui recens de Sacrificio Missæ, & S. Eucharistiæ duos pestilentes libros emiserat.

Traiecti primum lapidem extruendo templo delecti primarij Ciuium, duo posuere. Contulere liberaliter Ciues ad ædificationis impensas; contulere & Hispani milites vltro stipendiorum partem, vel renitentibus nostris, quod supra facultatem eorum, benignitas videbatur. Verum homines ad religiosā spontē euntes, vehementer impulerat perspecta Sociorum charitas. Nam cum è castris regijs, Traiectum curandi deportarentur ægri Germani, ijs tanta curā sedulitateque Traiectenses Collegæ inferuebant, vt nihil siue ad corporum, siue ad animorum solatia paterentur desiderari. Ea scilicet charitas erga milites, militum charitatem incendit. Cæterum in ipsis quoque Regijs castris præclare continuati labores, multis Sacerdotum de Societate per cohortes distributis. Quorum inter militiam Adrianus Albiffenus feliciter triumphauit. Vir (vt Oliuerij vtar elogio) in vita sanctus ab omnibus iudicatus, in toto morbo, & in morte multo sanctior, vt ferè non dubitemus eum inter Sanctos gloriā magnā donatum. Patria erat Dordracensis, anno 1567. Societati Louanij adiunctus, cum plus duodecim annos, magna laborum tolerantia, literas Humanitatis, duos Philosophiam tradidisset; iamque domesticum Sociorum Seminarium, Audomaropoli Græcam linguam, quam percalebat, doceret; tertio nonas Octobris humana deseruit.

Nunquam peiore loco publica res in Gallia, neque incertiora fuisse consilia. Cum enim anni prioris exitu exulcerati Guisiorum cades magnam partem Catholici rebellassent à Rege, & eum Sorbonici magno anathemate irretitum, & populos ab eius fide liberōs pronuntiasent; atque ex altera parte, se nunc cum maximè ille profiteretur Catholicum, quæque egisset, iustā necessitate facta defenderet; totumque in ciuiliâ bella regnum exardesceret, nihil licebat certi, siue de occultis hominum voluntatibus, siue de exitu rerum cuiquam sibi promittere. Laudabantur tamen vulgò fœderati, ac nominatim Parisijs (vt est ille populus religionis Catholicæ mirum in modum studiosus) tantus cernebatur ardor, seu defendendæ, seu sanguine contestandæ auitæ Religionis, vt enarrari non queat. Omnia precibus, ieiunijs, supplicationibus, & omni genere placandi numinis feruebant. In eum locum redacta videbatur res, vt tamquam ex decretorio momento summa penderet veri, aut falsi cultus. Nam si vrgeretur occasio, ac fœderatorum conata succederent, actum putabatur de noua superstitione; nec dubium, quin breui prisca vbique sacra restituerentur: sin autem opportunitas sineretur effluere, primoque illo populorum æstu deseruescente, sius Regi dominatus rediret, pro certo habebatur late hæresum flammam sparsum iri. Nam quamuis certa esset mens Regis, bonæque fide conaretur obsistere, quod planè erat mortalibus occultum, nequaquam id consequi poterat, nisi Fœderatorum

123  
Costeri vtilis labores.

124  
Traiectensis Templi fundatio.

125  
Adriani Albiffeni boni operarij pia mors.

126  
Fœda rerum perturbatio in Gallia.

127 Societas incerta consilij.

128 Augerius Regis partes tuetur, & inde graua patitur, ac peius periclitatur.

129 Euocatur in Italiam.

130 Alij populū ad defensionem Religionis hortantur.

131 Domus à Rege strueta Societati dosatur à Fœderatis. Sed generalis accipi uentur.

132 Societas Burdigalæ vexatur.

rum ministerio, & viribus. Atqui ut Fœderatis, post fidei eius tale experimentum, tantumque dissidium, cum illo sincere unquam conueniret, sperandum nullo modo erat. Hoc ancipiti rerum statu, quo se modo gererent, valde ambigebant Societatis homines. In initio, cum prae commune Ordinis præscriptum, etiam proprio Generalis Præpositi mandato, cauerent sermones qui ad alterutram partium inclinarent, Parisiis, aliisque in Ciuitatibus, in quibus Collegia erant, quæ ferè omnes, exceptâ Burdegalâ, Fœderatos sequuta sunt, magnam vulgò admirationem, atque adeo offensionem præbuerunt; quod pro suggestu, cæteris Dei precibus magnâ voce classicum canentibus, soli ipsi, seu segnitie, seu torpore, siue etiam mala fide cessarent. Itaque etiam Politici interdum vocitabantur, quo nomine eos insignire mos est, qui peruersè, & impiè præferentes humana diuinis, Religionem ex usu terrenæ dominationis fingunt, ac temperant. Nulla quidem dubitatio fuit Augerius, qui priuatim, publicèque Lugduni, ubi degebat, Regis foueret partes, & facta defenderet: sed tantam sibi inde confluxit inuidiam, ut coactus sit, tanquam in custodia, se se intra Collegij tenere limen, ne, quod dicebant futurum, si in multitudinis veniret manus, præceps daretur in abodandum. Eò venerat odij, dum ob stare Religioni creditur, qui paulò antè, dum eam fouebat, tanquam mirus Orator, ac Dei Apostolus in pretio, & ueneratione erat. Nec desuere, qui editis libellis, famam eius lacerarent, ac Societatem vna perstringerent: nec sermonibus hominum finis est factus, quoad in Italiam accitui Generalis Præpositi, vix eius, ac Societatis nomini consulenti, migravit. Prouinciales hac vbi vident, datis ad Generalem literis, per quas eius sententiam exquirebant, quia expectando responso locus non erat, multum orato Deo, ut cœleste lumen iniiceret, diu, multumque cum suis deliberatum Consiliarijs, quænam tenenda via esset. Omnibus visum ea esse tempora, eam vulgi opinionem, eam virorum doctorum, ac Religiosorum consensionem, ut ipsis sine graui offensione, atque ex eo vel vno capite sine graui periculo, aut aliter sentire, aut se se tanquam medios seruare, inclinationerum opperientes, nullo modo fas esset. Statuunt igitur suscipiendam Catholicæ fidei defensionem, adhortandum populū ad constantiam, in hæreticos incendendum, de Regio tamen facta, ipsoque Rege mentionem studiosè cauendam. Per simile dehinc allatum ab Vrbe quoque responsum est. Prudentiæ Præpositorum esse in re præsentis, quid, & quatenus agendum foret, statuere, dummodo vbique verecundia Religiosa, & modestia teneretur. Hac incedentes viâ, haud sanè inutilem præbuerunt operam Ciuitatibus suis. Quin etiam Parisijs ad alendum militem deannonâ sua, vltro contulerunt. Ter graue in periculum venit hoc anno vrbs, ne caperetur. In singulis periculis propulsandis laudarunt Duces operam Societatis. Itaque cum vacua esset domus, quam Henricus Rex modo adificarat in sacri Cœnobij formam, eam Dux Meinanus habendis Tyronibus Societati tradidit: & aliquot ibi Prouincialis Odo tyrones constituit: quamquam Claudius, vbi rem cognouit, nullo modo probauit præfestinatum dicens, & negotium plenum inuidiæ, ac sermonum: minus in præsens Lutetiæ, at foris per Regnum, & in posterum fore. Inter hæc quamquam multæ vbique difficultates, nusquam tamen maiores quam Burdegalæ distrahebant bonorum sententias, cum ea Ciuitas Regias tueretur partes. Hic insignem ad vulgus caritatem, auctoritatemque Societatis, cum maximè suspectam Regij haberent, nusquam declinare aures & oculos ab eius dictis, factisque: assiduis quinetiam exercere eam calumnijs, vexare molestijs, & grauibus imperijs coercere, dum fatigata, ac fracta, exilium vltro sibi conscisceret. Itaque cum ipso die sanctioris Sabbati, ortus in Vrbe tumultus esset, occupare eam, qui

qui foederatis studebant, conantibus (quanquam postea ad nudandos Ci-  
 nium animos, simulatè coeptum ab ipsismet regijs satellitibus tumultum,  
 constans opinio fuit) exploratores continuo in Collegium missi, tanquam  
 armatorum in eo deprehensuri manum, qui cum omnia obeundo, nihil  
 usquam, nisi demum congregatos ad preces, coram augustissimo Christi  
 corpore Dei famulos inuenissent; nihilominus coniscere in eos causam,  
 perrexere turbarum; ac propediem luituros minitari, id nempe, quod &  
 optabant, & moliebantur diuinantes. Impetrarunt igitur, aggregatis &  
 aliunde calumnijs, ab Rege continuo literas, quæ contra morem non ad  
 Senatum, sed ad Iacobum Dominicum Matignonium Francia Mareschal-  
 lum, qui Aquitania pro Rege præerat, die quarto & vigesimo Aprilis  
 datae sunt in eam sententiam: Regem tumultu cognito, qui pridie Pa-  
 schæ extitisset, veritum ne seditiosi rursus coorti vehementius, repentèque  
 occupatis munitioribus locis, totam urbem opprimerent, imperare Mati-  
 gnonio, ut maturè ipse, arcendi periculi gratia, munitissima quaque  
 loca prædijis insidere, & firmare suis, præcipuèque Collegium Socie-  
 tatis, quod ut Prætorio proximum, ingens in eam partem à qua tene-  
 rerit, momentum faceret. Patres verò ad Sancti Macarj oppidum tran-  
 slati, suis eo loco muneribus, dum ciuilia bella tenerent, impune ope-  
 ram darent, Burdegalensium vsu abstinentes. Hæ literæ handquaquam  
 satis habere causâ Regijs visæ, nisi protinus transigenda, studia verenti-  
 bus populi, qui ferè totus, uti modo dictum est, peramanter Socie-  
 tatem complectebatur. Cum tamen Patrum præsentia foederatorum partes,  
 quæ tunc Catholicorum vulgò putabantur, corroboratum iri persuasum  
 haberent, maximeque sibi timerent, à nobilissima, & florentissima  
 inuentute, quæ disciplinis in Collegio operata, insignem in Hereticos  
 præ se ardorem ferebat, alias vnde cumque venabatur, vnde cumque ca-  
 prabant causas. Eò iam ventum erat, nullum, ut concionatores tempera-  
 mentum inuenire tale possent, quod extra calumnias esset. Quicquid eg-  
 diuinis literis testimonij, exemplique profertur, ad ciendos tumultus, ad  
 adiocandos ab Rege populos productum interpretabantur, & inuidiosissi-  
 me dissipabant. Quæ videns Prouincialis Putgeanus, simulque eos, qui  
 ad Diuinum Verbum conuenirent, in hostibus Regis numerari, inter-  
 mittendum omninò censuit illud munus, quod ad pietatem fouendam  
 institutum, iam vitio temporum, incommodi longè plus, quam commo-  
 di procrearet. Hoc ubi consilium, fectit, dieque Sanctissimo Pentecostes,  
 quo igneis è Coelis lapsis linguis, Evangelica prædicatio dedicata est,  
 muniti fieri suggestus; Plebs tanquam execrabilis habita esset, vehemen-  
 ter in Senatum, & Mareschallum, quod Hereticos impune negotium  
 facessere Patribus paterentur, commota est. Illi ut ab se propulsarent  
 inuidiam, accito Ioanne Bordesio Rectore Collegij, silentij eius causam,  
 exquirunt. Rector ingenuè, euocatos, ut res erat, à Prouinciali concio-  
 natores, præter se, & alterum, qui muneribus alijs distinerentur, & an-  
 te omnia temporum difficultatem excusauit; ne, si qua cui vox minus  
 considerata, aut suspiciosa capax interpretationis excideret, non modo se  
 orator, & Societatem, sed etiam optimum quemque Ciuium in discrimen  
 accerferet. Ad ea Senatus, cum inflaret tamen, ut conciones utique  
 repeterentur, neque rationibus, & precibus Rectoris, quod neque in-  
 grum sibi, neque omninò in potestate foret sua, ne frustra conari coge-  
 retur excusantis, nihil quicquam flecteretur, ad extremum post obnixum  
 utrimque aliquandiu certamen, hinc acriter imperantium, illinc necessa-  
 rio, sed modestè deprecantis Bordesij, decretum condit, & promulgat,  
 quo nostris optio scerebatur, vel pollicendi se facturos, quod non pote-  
 rant, vel fortunis omnibus excidendi. Non deerant, qui nunc demum  
 apparueram dicerent Iesuitarum cupiditatem, & auariciam, nihilque san-  
 ctum,

aduersus  
causam  
action

133  
 Literæ Re-  
 gis quibus  
 Societas Bur-  
 digala exclu-  
 ditur.

134  
 In eius man-  
 dati execu-  
 tione cuncta-  
 tum.

135  
 Intermit-  
 tur à nostris  
 conciones.

136  
 Eo silentio  
 plebs concitatur.

137  
 Senatus refu-  
 nere concio-  
 nes iubet ad  
 dies minus  
 spoliationis  
 bonorum.

Perstantibus  
in sententia  
notis.

138  
Occasione  
propositorum  
carminum,  
& ænigmatum  
iuspiciones  
aucta.

139  
Exilium no-  
stris Burdi-  
galenibus  
decernitur.

140  
Exilium no-  
stris Burdi-  
galenibus  
decernitur.

ctum, ubi cum pecuniâ componeretur, habituros. Cæterum maioribus Senatum ipsum constantia Patrum difficultatibus inuoluit, ignarum quo deinde progredereur, quam ipsos decreti eius propositio terruit, ut qui non modò bonorum iacturam iamdiù, sed extrema quaque pro Religione sibi proposuerant, ac præceperant animis. Itaque, cum in dies, ut tenuissimam pœnarum exilium expectarent, sensim Prouincialis euocare Tolosam Nouitios coepit. Rebus ita tumentibus, sacrâ B. Magdalene luce, cum ex veteri more, ad ingenij præbendum specimen, & alendam glorie gustu industriam, proposuissent scholastici ex suis quique studijs, publicum aliquod documentum; Poëtarum maximè aduersus hæreses, exararunt ingenia. Namque ipsemet Senatus, & Mareschallus apertè pronuntiarant, licere in Hæreses, & libros Hæreticorum, etiam pro concione inuehi, modò nihil in Regem eiusque propugnatores conijceretur. Acriter pupugere Hæreticos Poëtarum aculei, eoque acrius pleni minarum Iesuitas ad speculandum, obseruandumque conuersi, si quam calumniarum ansam alicundè possint arripere. Vnus in tanto numero malignè cuncta notantium oculorum fuit minister hæreticus, qui cuiusdam discipulorum ænigma, acutè, ut sibi videbatur, interpretatus, exclamat iam se fraudemprehendisse: sub illis inuolueris Guisianas defendi partes. Est sane genus id orationis ænigma, ut dum operosè occultantur, & implcantur ambagibus animi sensa, haud difficile, qui sagacitate pollet, arcanas eiusmodi notas, & mutuos colores, ad quam velit sententiam, accommodet; aptiusque interdum aliò trahantur, & cadant omnia, quam in id, quod scriptori ipsi propositum fuerit. Atque hæretici illius, utque eò abhorrens, & infelix interpretatio fuit, ut cum aculeationem ad Iuratos detulisset, & datus esset in carcerem scriptor ænigmatum, & quamplurimi conuocati Hæretici, ad germanum inde enucleandum, promendumque sensum, nemini omnium detorta illa Ministri, & criminosa interpretatio in mentem venerit, aut probari potuerit, præter ipsum. Quare cum ex altera parte seuocati discipulus & præceptor, aptissime, & conuenientissimè exposuissent, missus è carcere est adolescens ab omni proliis suspitione liber. Nihilo tamen minus inter causas, hæc celebrata Societatis pellendæ. Ramor fuit, ingenti quoque pecuniâ, exilium eius ad Hæreticos emptum. Quæ omnia fecere, ut satis iam ad populum causa putarent esse exilij decernendi. Ergo 4. Kal. Sextiles, mittitur ad Collegium Iudex rerum priuatarum à Mareschallo cum Regijs literis, quas datas vigesimo quarto Aprilis narrauimus. Ostendit quamdiù Rex demigrare eos iusserit: quam patienter Mareschallus benignè adhuc habuit: etiamnum integra esse omnia: facerent modo, quod iubebantur; caluram illicò gliscentem in eos tempestatem; omnium carissimos Senatus, Mareschallo, cæteris futuros. Denique etiam atque etiam animo agitant, quid responsi vellent ad Mareschallum referri. Cum in causa veteri, totiesque versata, haud noui quicquam incidisset, nihil esse noui, quod responderet, subiecit Rector. Postero die, qui Dominicus erat, præter modum populi concursus, qui periculum Patrum præsenferat, ad sacram Homologesim, ac Synaxim est factus. Eodem die Mareschallus ad se suam in arcem Patres Collegij aduocat: cumque ijs Præsides, ac Senatores, & Seniros Vrbs, quos Iuratos vocant. In eorum consessu exponit, pridie se ad ipsos misisse literas Regis, ut tandem imperio, ac voluntati eius fieret satis. Rem se in eam protulisse, ac sustinuisse diem, quod sperasset eos aliqua tandem stecti ratione posse. Iam ergo quoniam vijs nē quicquam tentatis omnibus, in sententia sua fixi permaneant, coactum eodem demum erumpere, ut ab Vrbe vniuersos dimitteret: proinde postero die exirent. Respondent illi, ex vrbe se se egressuros obedienter, eo lectos, quod noxæ nullius comperti essent. Octidui solū precari moram, dum

dum ex annonâ, instrumentoque redacta pecunia, æs alienum exsolue-  
 rent, & hospitia ad quæ secederent, prouiderent. Quod tantum nume-  
 rum S. Macarij Prioratus, haudquaquam caperet. Vnius tantum diei gra-  
 tiam Marechallus fecit; se se recipiens, cum S. Macarij Ciuibus per li-  
 teras effecturum, ne idonea eis deesse receptacula paterentur; partem  
 etiam suam in Castrum, cui Mortagne nomen, recepturum. Huius rei  
 fama celeriter totam urbem peruasit, & quanquam Burdegala semper Or-  
 dinis nostri, se amantissimam præbuit, tamen longe maiorem aperuit ca-  
 ritatem, quam humana cogitatio facile capere potuisset. Mira itaque  
 die toto populi frequentia continentium ac redeuntium agmine,  
 Collegium celebrauit. Flere alij, ac lamentari: alij domos, vel in Vr-  
 be, vel in agris, ad res afferuandas offerre: alij vestimenta varij gene-  
 ris suppeditare, quibus dissimulato Religiosorum habitu, inter Hæretico-  
 rum insidias peregrinari, tutis liceret. Pecunias alij largè ad viâ impen-  
 sas ingerere: ex quibus tamen pia tantum fere voluntas accepta: alij  
 quocumque pergerent, in quemcumque casum profiteri se comites; alij  
 postremo conditis etiam carminibus suum dolorem, deque protectione ea-  
 sententiam aperire. Porrò discipuli à Præceptorum suorum latere auelli  
 non poterant. Sed tanta studia cum Magistratui curam mouissent, vnus-  
 que Scuirum armatis cinctus, vt eam summoueret frequentiam, ad Colle-  
 gium venisset, conspectaque in arca Gymnasij deambulantium turbâ, di-  
 xisset, licere eis eo die liberè frui, saturarique conspectu Gymnasij, da-  
 turum se postmodum operam, ne cui pateret aditus: adeò intempestua  
 vox multitudinem instigauit, vt impetu in classes facto, subsellia, &  
 exedras omnes, cancellosque, ne alienam in potestatem venirent, per-  
 frerint: vixque abstinere manus ab ipso Scuiro, nisi vnus Patrum  
 feroces animos mitigasset. Ex eo tempore ne turbarum quid concire-  
 tur, armatorum circumpositâ acri custodia, quæ per vices alijs, atque  
 alijs succedentibus interdij, nocturne continebatur, tum Sociorum de  
 Collegio egressus, tum accessus ad eum Ciuium prohibitus, spectaculo  
 sanè miserandum, cum & honestissimi adolescentes, & religiosissimi viri,  
 qui vel vltimum salutaturi, vel monumentum amoris præbituri veniebant,  
 superbe, minaciterque repellerentur: ac multi ne vultu quidem præferre  
 animi dolorem, ne inter Regis hostes numerarentur, audent. Patres  
 præcipua suppellectili tuto loco reconditâ, persoluto diligenter ex rebus  
 raptim diuenditis, ære alieno, quod boni fuit exempli, ad protectionem  
 se comparant. Nequaquam existimarunt abeundum vniuersis in Oppidum  
 S. Macarij, ne eo loco tanquam in custodia tenerentur, in qua omnibus  
 opportuni casibus perpetuo essent. Itaque nec temporibus, neque portis  
 ipsidem, haud sine multis multorum lacrymis, qui nihil veriti obseruan-  
 tium inuidiam, miserabiliter rogabant, cui se incustoditos inter lupos  
 relinquere, Kalendis Augusti discessum est, die longè retriori casu fu-  
 nestâ, quâ nimirum ipsâ Rex Henricus III. Parisios obsidens, scelestissi-  
 mo post hominum memoriam est parricidio sublatus. Princeps ob raras  
 naturæ, virtutisque dotes dignus meliori fato: itaque de nobis aliâs mer-  
 ritus, vt hanc eius vltimam voluntatem, quâ eieci Burdegala sumus, im-  
 putare perturbationi turbulentissimorum temporum, non eius naturæ, in-  
 diciose debeamus. Hæc tum fortuna Collegij Burdegalensis fuit. Cuius vt  
 exilium exilij vniuersa Societatis de Gallia omen, & quasi principium fuit;  
 ita reditus, ac restitutio non falsum augurium habuit redintegrationis re-  
 rum ibidem, fortunarumque nostrarum, vt in loco reddemus. Nunc  
 enim commemoranda humanitas singularis est Senatus, Populique Bur-  
 degalensis in nos illo misero, & calamitoso tempore egregiè probata.  
 Non enim solum in ipso discessu nostrorum, sed ne toto quidem reli-  
 quo absentia, ac postliminij spatio quidquam nobilissima illa Ciuitas er-

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. I.

L L L

ga

140  
Societas Bur-  
digala exce-  
dit

141  
Henrici III.  
mors.

142  
Caritas Bur-  
digalensium  
in Societa-  
tem.

143  
Pontifex factum nostrorum Burdigalensium laudat.

144  
Origo Collegij Aufcensis.

145  
In quo accipiendum festinatum Generalis censuit.  
Tamen Collegium admittit.

146  
Inicia Collegij Petrocoriensis.

147  
Alij Burdigalenses alio muni.

Quatuor etiam in Hispaniam.

ga Societatem officij prætermisit. Senatus ipse, ac perbeneuolus erat, statim honorum Collegij procuracionem assumpsit: Socijsque, quanquam dispersis annuos redditus cum singulari fide, curaque perpetuo reddidit. Valuit multum ad confirmandos Catholicos ea secessio; illustrauit Societatis integritatem, contra eam opinionem, que vagabatur, tanquam nihil, nisi latifundia, & opimas hæreditates, que pareretur: ostendens non alia, quam religionis causa quæri terrena subdia, propter quam, vbi vsus foret, desererentur. Ipse Romæ Pontifex cum rem ex Generali cognouit, quanquam aliunde iam inaudiuerat, summis laudibus id factum commendauit, prædicans obedientiam, que Sanctæ Ecclesiæ decretis exhibita esset: beatos dicens, qui persecutionem paterentur propter iustitiam: exemplum fore saluberrimum; sacrificium esse Deo; Sedique Apostolicæ acceptissimum, & alia hisce similia. Inter alias ex ea protectione in commune bonum utilitates, ea quoque extitit, quod vti multas in Ciuitates sparsi Patres sunt, ita latius rem Catholicam sustentarunt, ac propagarunt: vetustam illam sibi que patenti æqualem obtinente laudem Sancta Ecclesia, vt per exilia crescat. Quidam ad Sanctum Macarium, alij Petrocorium, alij Aufcos, in alia alijs oppida digressi, tam insigni diuinæ tutelæ experimento, vt quanquam passim Hæretici insidiarentur euntibus, nemo tamen in potestatem eorum venerit. Per hanc maximè occasionem receptum est Aufcis Collegium. Ciuitas est frequens, & nobilis in Nouempopulaniâ. In exitu anni superioris eò profectus Ioannes Grangeanus ad sacri Aduentus conciones, ac subinde Quadragesimæ; quam iam pridem curam coquebant habendi Collegij, documenta industriæ suæ præbendo, Aufcensibus maturauit. Comuni consilio decernunt, collatis vndecumque redditibus, Societatem accedere; quodque facilius optata succedant, dimissis latinæ Præceptoribus, sui Collegij possessione, tradita Grangeano, Tolosâ Socios tres, qui tantisper vacua auditoria moderentur, ignaro impetrant Provinciali, cum ante Grangeanus denuntiaisset, si res Provinciali, aut Generali non probaretur, cum bona ipsorum gratia Magistros Tolosam remigraturos. Grauius tulit Præpositus Generalis festinationem illam; que obsequium, legesque præcurreret; nam ne missionis quidem nomine concedi solere magistros; tamen pia vota nobilissima Ciuitatis respiciens, & opportunitatem diuini cultus propagandi, rite Collegium admittit. In quo sub Petro Lohierio præside, Magistri quinque docere aggressi, mirè Canonis, ac reliqua Ciuitate fauentibus. Sedes Aufci Archiepiscopi est: in præsentia Pastore carebant morte Cardinalis Estensis. Huc igitur ex Burdegalensium dispersione aliquot missi, non mediocriter Aufcensibus, & gaudium, & commodum attulere. Viginæ eodem ex numero Petrocoriensium postulatæ Ordinum comitatu frequentissimo introducti. Quò promptior excepit hospitalitas benevolentia Ciuium; hoc illi impensus in eorum incubuere culturam, Diuini Verbi, & Sacramentorum frequentia, reuocando vsu quotidie audiendi Sacri, abolenda discolorum impiorum, & execrationum vsitata licentia, reddendo sacris diebus honore, cultuque, & cæteris religiosa industriæ præclaris inuentis. Ex eadem eiectione duo Camaracum profecti, Oppidi eius Domino postulante. Alij duo dum viam militarem obsidentes hæreticos longo vitant circuitu, Albamterram delati. Vtrique vtroque perbenigne accepti, priuatim, ac publicè cari, commodique fuere: præcipuèque Albaterra teneræ ætatis Catechismus indutus. Ita factum est, vt non tam dissolutum posset videri Burdegalensium Collegium, quam veluti è Seminario translata frugiferas plantas, que desertos ornarent agros, ac fecundarent. Quatuor etiam in Aragoniam missi Scholastici: quos Provincialis Villalba, vti vltro ex Puceano petierat,

ita obuia caritate suscepit. In Prouincia Lugdunensi Ludouica de Aneezuna nobilissima matrona, vltro suscepit Tyrocinium vectigalibus adornandum; benignitate eò magis illi Prouinciæ salutari, quò magis necessaria. Nam ad id loci Auenione primùm, dein Lugduni ex Collegiorum collatione Nouitij alebantur. Quod onus in cætera rei domestica difficultate vehementer in presentia difficultates temporum aggrauabant. Eræ Ludouica egregiæ pietatis fœmina, & singulari obseruantia colebat S. Igaatium, & aliquod iamdudum, quod in maximum cederet alumnorum eius commodum, suæ specimen benignitatis auebat edere. Itaque cum ex Ioanne Grangeano, quem modo Aufcensis Collegij autorem nominauit, cognouisset, quam necessaria, quantæque sit Dei gloriæ, & vtilitati proximis recta tyronum institutio, in hoc opus curam omnem conuertit. Nullis conditionibus sua dona illigauit, nisi, vt quoniam in Auenionensi comitatu, suum ipsa Castellum habebat, Auenione Tyrocinium, cum per quietem liceret temporum, poneretur. Interim hoc primum anno à Collegio Lugdunensi seiunctum est, & conductis in adibus collocatum.

In Sardinia, quæ hac tempestate Aragoniæ contributa à Prouinciali per Vicarium regebatur Melchiorum à S. Ioanne, Collegij Alguerensis coepta constructio. In huius deductione nouæ coloniæ fauentem præcipue Societas habuit virum nobilissimum, atque doctissimum, eundemque religiosissimum Alguerensis Ecclesiæ Præsulem, Dominicum Andream Bacallar, postmodum ad Turrinani Archiepiscopatus Cathedram, translatum. Anno superiore prægressus Iunio ineunte Melchior cum res præparasset, aduocatis Saffari Socijs, ex commodata Sede in domicilium, quod Ciuitas in eam rem conduxerat xrv. Kalendas Iulias commigravit. Postridie qui fuit dies Dominicus, omnes in templum S. Michaelis Collegio traditum Præsul modo nominatus introduxit. Hic & Melchior vniuerso Clero, Magistratu, populoque frequenti, instituta, & labores Societatis populari lingua exposuit; & Petrus Arcerius scholæ præfaturus latine dixit. Socij octo Collegij eius exordia sub cura Leonardi Alitij posuere; Ciuitate, latissima, cupidèque, ac fructuosè Gymnasij, ac templi vltente laboribus. Inchoata subinde feliciter in magnæ Matris tutela Sodalitas est, nec minore successu verus in Vrbe Sodalitium Sanctissimi Sacramenti, quod penè perierat, restitutum. Ita procedente opere hoc iam ingresso anno exiit homo rusticanus è pastoritia simplicitate, quasi alter Amos, qui cœpit diuinam Alguerio iram horrendis minis magna constantia denunciare, certo die (& disertè Sancto Martino sacrum diem tertium ante Idus Nouembris nominabat) Alguerium funditus omne cum Ciuibus periturum. Supplicationes publicas indici, ieiunia, & cætera Deo placando idonea volebat. Cunctabatur Episcopus habere fidem: nec satis, quod consilij caperet, certo statuebat, ne leuior, aut tardior videretur. Itaque mediam tenens viam, ad recta opera, ad fugam noxarum, & expiandas conscientias satis habuit Ciues hortari. At populus, vt fermè est fidei ad talia præcepta, tanquam oraculum certò arripere, & ad illud tempus res, & consilia præparare, nostris eo latis, quod per eam occasionem multorum conscientiarum rectè componerentur, multumque virtutis exerceretur. Ecce tibi Kalendis Nouembribus procella ingens effunditur mugiant horrenda tonitrua, fulgura, & fulmina increbescunt: deiectæ domus, aliæ vehementer concussa. Vulgus ea in prædictionis affirmationem capere, & appetentis exitij præludia interpretari. Tum Patres cum Antistite conuenerunt, vt illum ipsum diem, quem vltimum Diuinus Alguerio fore cecinerat, Collegio exordiando destinarent. Eò die dum plerique pauidi horam præstolantur supremam, benigna luce serenum se Cœlum aperuit. Episcopus ad Collegium cum suis venit, sequuta est Ciuitas vniuersa: ille cum sacro ornatu,

148  
Ludouica de  
Aneezuna,  
Fundatrix  
Tyrocini  
Prou. Lugd.

Auenione  
positi.

149  
Collegij Al  
guerensis in  
Sardinia fun  
datio.

Eo die facta,  
qui supre  
mus ei Vrbi  
futurus dice  
batur.

natu, cum cætera cæremonia lapidem primum in Collegij auspiciis misit. Hæc eò latior sacris ritibus fuit, quod suæ Urbis, quo die expectauerat funus, eo quasi alterum natalem conspexit.

Barcinonem inter hæc acerba lues percudit sub Iulium exorta nescim, plus duodecim mortalium millibus, spatio inde semestri consumpta. Erat Barcinone Prouincialis Villalba, cum diritas contagionis comperta est. Qui Iunioribus in vicinum Collegij prædium, & mox longius subductis, relictis domi cum Hieronymo Rocca Rectore, qui Cinium integritatem operam darent, nobilem manipulum secreuit eorum, qui pro morbidorum salute animas suas deuouerant. Hi tota vrbe, quocunq; aduocarentur accurrere, omnibus vbique necessitatibus præsto esse, eo expeditius, quod Sacramenta pro curionibus porrigendi munus sibi assumperant Capuccini, & Carmelita exalceati. Ex eo manipulo nouem peste contracti, confecti sex, Sacerdotes duo, Ioannes Seruentius, & Matthæus Pallasius, cæteri non Sacerdotes, Iacobus Bestolius, Martinus Apparitus, Ioannes Lopus, & malo iam senescente, qui inde vsque ab initio in sanctis laboribus perdurarat, Ioannes Moreius. Magnæ erant omnes virtutis, probati exempli, cæterisque dudum caritatis officijs, ad illud palmare preparati, vt pro amicis suis ponerent animas suas. Proximam his laudem merentur, qui in regiam missi classem, vitam, vel sub incommodorum fauce, vel tempestatum arbitrio reliquerunt, Consaluis Alamus, & Damianus Gutterius Sacerdotes, cum Ferdinando Turrio, & Ioanne Ocon Laicis. Consaluis Alamus Cordubensis patria perpetuam custodisse creditur pudicitie integritatem, quod facile suadebat, singularis viri modestia, totiusque vitæ, ac morum candidissimus nitor. Sinceri erat animi, latus in aduersis, mitis sine querimonia, silentij custos religiosi, precatonum, ac cætera disciplina. Charitatem erga proximos Hispali, & Malacæ diu probauit, præsertim erga inopes carcere victos, & in remigium condemnatos. Hi cum distribuendi in triremes Malacam ex toto Regno cogi soleant, vt magno in numero multi sæpè erant, qui non penuria solum, sed etiam morbis conficiantur, nuda humo iacebant, omnium egeni, ab omnibus destituti, loci situ perniciali, odore terribili grauantibus, Consaluis non carceris squallore, non pedore iacentium, seu qua alia specie foeda deterritus, inferebat mædium se se miseris materno studio, medicamenta curabat, afferebat cibos, porrigebatque, & verbis consolationem addebat: quo pronius dein animas confessione sanabat. Denique omnibus omnium calamitosorum, inopumque miseris succurrens, vniquò iam Patris pauperum, vt charitatem induxerat, ita nomine quoque dignabatur. Ad animarum necessitates eò promptior, quò necessaria magis, magisque ex Instituto Societatis curatio earum. Assiduitatè mira suam terebat confessionalem sellam, & semel adeuntes, ita facilitate, ac bono Christi odore deuinctos mittebat, vt cupidè, constanterque redirent. Huius pinguedinem charitatis, humilitatis alebat escâ. Vbi quid vacui haberet spatij frequens ad iuuandum abibat coquam, humillima quæque ministeria tractatis. Probauit eius virtutem fornax quoque tribulationis. Impudens foemina ausa thesauro integritatis eius moliri insidias, vbi, qui par erat, feuera cum increpatione repulsa est, de crimine suo calumniam struit, & ad Rectorem aduersus Alamum querelam deserit. Et quanquam

150  
Pestis Barcinone, & eius occasione caritas nostrorum.

151  
Sex ex iis peste laborantibus ministræ res assumpti.

152  
Quatuor in missione naturali percunt.

153  
Consaluis Alami virtutes.

154  
Innocentia eius Accusatrix confessione detecta. P. 315. num. 298.

fatis cætera viri grauitas redarguebat criminis vanitatem, tamen, vt tanta in re, tam Societati abominata, non exigua inde vexatio innocentis fuit, quoad in grauem morbum criminatrix lapsa, diuinitus immixta, vtrò calumniam retractauit. Is est, de quo, in Florida rebus in loco prodidimus, qui inde reuersus egregiè iudicij quoque sui pugnaciorè naturam perdomuit. Idem Bartholomæum Turrium Episcopum Canariensem in Canarias comitatus cum Iacobo Lupio, egregias insularis utilitates peperit.

rit. Missus demum in regiam classem, tanquam praesentiret in propinquo  
 metam esse, ita cursu ad omnem laudem intento, dum consolandis mi-  
 litibus, & omni ope iuandis defudat, in Quadriremi Sancto Marco di-  
 cata, cum reliquis omnibus demersus est. Pari, cum eo, casu Ferdi-  
 nandus Turrius extinctus est. Hic natione Lusitanus, in mercatura fa-  
 cienda sagax, cum Hispalim quaestus causam venisset, audita vnus Socio-  
 rum, in Sancti Francisci platea concione, statuit curam omnem ad Chri-  
 sti luca transferre, domumque reuersus persuadere vxori vehementer in-  
 sistit, vt serio se ambo concordia studio diuinis rebus addicerent. Annus  
 erat vnde septuagesimus, cum Hispalim pestilens flamma depascebatur. Ra-  
 ti acceptum id fore Sacrificium Deo, in agrorum ministeria animo, cona-  
 tuque magno, labores, vitasque deuouent suas: quo in opere cum mor-  
 tem vxor oppetiuisset, Ferdinandus vitam sibi reseruatam vsuram, ad  
 nouum, ac perpetuum sacrificium putans, Deo consecrare omnem in  
 Societate constituit. Non multum postquam receptus est locupletes qui-  
 dam Iudaei, cum tota domo e Lusitania profugi, Ferdinandum, quem  
 satis callidum, peritumque saeculi nouerant, accersunt ad se se Ragusam,  
 tanquam de sua ad Christum conuersione acturi, re vera, vt fidem eius  
 sollicitarent. Permissus ab Euerardo tum Generali tentare rem, Ragusam  
 Ferdinandus nauigat. Vbi peruenit, omni humanitatis genere exceptum,  
 perfidi, fallaceque Iudaei, primo rectius, & per ambages pellicere, ad  
 vltimum oblata cum ingenti dote venusta sponsa, palam ad impiam de-  
 fertionem inuitant. Cohorruit ille ad insanam vocem, adeoque seuerè,  
 & acerbè increpauit temerarios sollicitatorum coactus, vt hi commutatis  
 in furorem blanditijs, mortem illi denunciare non dubitarent: & statue-  
 rant omnino de medio tollere, sed Deus tantum audere non fuit. Fer-  
 dinandus non desistit per aliquot dies conferere cum ijs manus: atque ita  
 perturbabat, irretiebatque congregantes, vt multam proposuerint in Sy-  
 nagoga, nummos aureos septuaginta, qui vltra cum illo de religione  
 in certamen veniret. Nec tamen sine praeda Ferdinandus discessit. Iuue-  
 nem doctum, & inter suos Rabinum, secum in Italiam, vt Christianus  
 fieret, deduxit. Caetera vita pie traducta, vbi destinatus est in Re-  
 giam classem, ex verbis Epistolae eius, quam initio scripsit, quid molire-  
 tur, quid efficeret pronum est intelligere. Incospi, inquit, sacras ima-  
 gines, quae in totam sufficient classem parare: iamque tria, seu qua-  
 tuor millia prompta habeo, nec absistam, donec viginti millia confecer-  
 ro. Inueni stipem ad coemenda Rosaria, quae item inter Socios naua-  
 les, & nauticam turbam diuidantur. Supra dena millia opus erunt. Iu-  
 cunda res est, magnique exempli, fructum, qui hinc existit, videre.  
 Diuido etiam piacularia grana, quae latissimi excipiunt ad gloriam Dei,  
 eiusque Matris, suspensuri de collo, quo die pugnabitur (hac enim con-  
 ditione accipiunt.) Quod spectaculum erit, hominum vel millia viginti  
 cernere pendentibus a collo Rosarijs, & sacris imaginibus, contra eos  
 pugnancia, qui sancta haec detestantur? Gloria sit IESV, & Matrì  
 eius benedicta per hoc ministerium. Haec erant consilia, haec vota Fer-  
 dinandi, quae quamquam non omnino processere: tamen sua fraudari mer-  
 cede ipse non potuit, qui in his, & propter haec vitam demum effudit.  
 Caeterum parum Societati comoda potuit videri pro statu rerum Hispa-  
 niae mors Alfonso Deza, humana spectantibus consilia. Quarto Kal. Februa-  
 rij in Toletana domo, quinto iam anno Praepositus eius decessit, magnus  
 virtute, magnus sapientia, magnus autoritate: nomen vt eius instar oracu-  
 li celebraretur. Summus idem D. Thomas admirator erat. Nisi qui inge-  
 nerat, aequalia se habere confideret (quis autem confideret?) aiebat  
 temerarium ei contradicere. Si qua verò in re sibi difficultas accideret,  
 vbi-

155  
Naufragio  
perit.

156  
Summa vitae  
Ferdinandi  
Turrij.

157  
Turrius ten-  
tatur a Iu-  
daeis frustra.

158  
Rabinum  
ad Christi  
fidem addu-  
cit.

159  
Eius appa-  
ritus ad milio-  
nem naua-  
lem.

160  
Mors Alfon-  
si Deza.

161  
Eius devo-  
tio erga  
S. Thomam.

vbique (perpaucis demptis) sic loquebatur: vera est Sancti Thomæ sententia, sed ego præ mea tenuitate non assequor: nec inficiabatur in huiusmodi nodis, locisque obscurioribus, sed ad mentem Angelici Doctoris peruidendam, patrocinio se eiusdem iuuarit: sic certè euolebat, ut ipsi Thomistæ interpretationes Deza deprædicarent. Circiter tres, & viginti annos in Complutensi Collegio Theologiam docuit, multis ex Academicis in Academiam introducere. Nec segnius virtutes, quam Doctrinam S. Thomæ assectabatur, præcipuèque modestiam, veramque humilitatem. Verecundus in alienis censendis opinionibus, in Gymnasio, extraque, seu publico, seu priuato sermone alienæ dignitatis fauor benignus. Quo die præfutura erat disputationibus, inducere solebat ciliicum, tanquam modestiæ monitorem, ne quò per concertationis calorem transcurreret. Romæ anno 1581, cum ad Generalem venisset conuentum, & regendis item præset quodam die disputationibus; cum Doctor Martinus Nauarrus contra theses dicturus hoc incœpisset exordio, liceat deliro senil delirare; multum omnes delectauit Deza statim excipiens, liceat sapientissimo viro, omnium magistro omnes docere. Sed clarius illud fuit specimen submissionis Compluti, dum, vti suo loco narratum est, Vicarium, qui Emmanuelem Lopium volebat comprehendere, lenire, atque docere conabatur. Cum enim feruidus ille, vixque potens sui, cum stomacho, contemptimque abigens, facesse, dixisset, facesse Magistelles pacatè Deza, nã tu meum nomen dixisti, inquit; cumque contumelias ille aggereret, ipse item adiecit, & ista, & amplius ferre, vitæ est quam profiteor. Aliàs cum inter Marchionem, & magnatibus Hispaniæ, & Fratres de patrimonio dissidium conaretur componere, & Marchio rarus, Fratrum eum partes agere, vehementer iratus dixisset, Deum testor, & istam Crucem, non esse hominem in Hispania nequiorum te: eodem momento abiecit se ad eius pedes, dicens: sine, ista osculer vestigia; nam beneficium ex te planè maximum habeo. Quæ humilitatis vera species, qui aderant, vehementer omnes permouit. Est & illud humilitatis Deza testimonium mea sententia, sincerum, & grande; quod non solum quos habebat in sæculo promptos honores ipse despexit, sed neque Toleranum Canonicatum, neque alia ornamenta, quæ in gratiam suam Fratri suo, homini minimè indigno deferebantur, tradi permisit. Quorum autem quemque inuenias, quem non blande titillet blandus honor ab ipso contemptus, possessus in suis, siue ad autoritatis incrementum, siue ad sui meriti fidem? Sequebatur ut solet parentem filia, humilitatem obedientia. Statim ut animum ad Societatem adiecit, cum ut ipsemet scriptum reliquit, ideo seculo renunciaret, quod existimaret, saluum se non posse aliter esse, ardens magna quadam cupiditate omnem virtutem toto animo complectendi, & quicquid imperaretur omni studio, & conatu exequendi, nihil habebat, vnde maiorem animi voluptatem hauriret, quam cum cogitabat vitam sibi in obedientia esse ducendam: neque sua sententia regendas actiones, neque sua voluntate exequendas. Nec postea quicquam erat adeo arduum, vel difficile, ad quod peragendum, non alacritatem, & gaudium animo præsentificeret, virtute obedientiæ fretus, planèque persuasum habens, id quod sibi per Superiores imponeretur, ad suam, & quietem, & salutem inter omnia aptissimum fore. Eam memorabat in præcipuis causam, cur Societatem adamaret, quod in vita, & actionibus eius, vitam Christi, & Apostolorum sibi videbatur agnoscere: vnde postea factum ut cum studiorum semper laboribus, ac dein cum domesticæ præfecturæ cura, Euangelicæ in proximis charitatis, occupationes impensè miscuerit, quas ut ex veræ norma sapientiæ obibat, ita omnes quidem promiscuè humil-

162  
Cetera virtutes eius.

P. 31. 7. m.  
115.

163  
Modestia eius, & patientia.

164  
Quam is liber ab amore consanguineorum.

165  
Quam idem in obedientia insignis.

humillimos, ac tenuissimos quosque, studiosissimè adiuuabat. Annum, agens ætatis 28, ingressus die Paschæ 1558., cum post dies viginti priuata deuotione occupasset tria vota nuncupare, ex eo die deiiceps, ea singulis diebus sacre communionis tempore renouauit. Demortuo non Toleti modo summis omnium studijs, sed Compluti quoque ab Academicis supremi exequiarum honores persoluti sunt. Domui professa Toletanæ Antonius Marcenius prapositus est, cum Marchione Almazanio postulante, plenè restituisset eum Quasitores in pristinam libertatem administrandi quidquid Societas censuisset. In eadem domo, verum non exitu patri Dionysius Valquius, bimestri post interuallo, finem viuendi fecit. Segouia propter inualetudinem, & quia sanctè spondebat nullam posthac ab se fore Societati molestiam, vt tentaretur, quid per hanc indulgentiam proficeret, Toletum ire permissus erat ad natalis soli clementiam. Sed contra, ac sperabat, facta est ibi valetudo statim longe deterior. Torqueri coepit grauissimè, exundante atra bile, qua nunc agitabatur in furias, nunc angore obruebatur; ad extremum in meram excessit insaniam, eos edens clamores, vt ad euitandam vicinorum admirationem, in domus interiora remouendus fuerit. Existimata est haud dubiè hæc poena vindicis Dei. Nec tamen minus mirum videatur hominem, qui præ ægritudine potens sui sæpe non erat, tantam potuisse nancisci autoritatem, vt cum ageret de legibus mutandis, quas homines prudentissimi, sanctissimique viri condiderant, & Sedes Apostolica confirmarat, tamen audiretur, tamque multos, & sectatores, & fautores haberet. Sed nimirum ad nocendum sæpe venenis plus inest efficaciam, quam ad iuuandum amuletis. De aterna eius salute spes bona est, quod ingrauescentis mali principio, generali confessione peccata eluit, multum, ac sæpe contestans, in posterum Generali Prapósito neminem fideliozem se, aut obediẽtiorem fore. Vixerat in Societate ab anno 1550. Hic Dionysij finis Perturbatorum non neminem, haud leuiter ad sui curam aduertit: nec modicam iam in tranquillum inclinationem tempestas tota fecerat. Claudius Generalis nunquam dubitabat, quin si probe Rex semel edoceretur, cogniturus esset, quæ in Societate quidam mutata vellent, non ad emendationem, sed ad euerzionem eius spectare. Hanc ob causam Iosephum Acoftam, qui Peruuia statum Romam retulerat, pro eius apud alios, & ipsum Regem autoritate idoneum iudicauit, qui hoc munus probe obiret. Optimè igitur instructum remisit in Hispaniam adiuncto Roberto Personio, qui de rebus Anglicis propriè acturus cum iret, ex occasione iussus erat causam Societatis inserere, & statum rerum candidè Regi, ac penitus aperire: quod ille non minus feliciter, quam fideliter præstitit. Cum enim principio anni ambo Madritum venissent, quanquam Patres censuerant prius Acofta, qui ob eam rem propriè mittebatur, alloquendum Regem; tamen is cognito vtrumque adesse, continuo diem, quo Personius admitteretur, dilato Acofta constituit. Auebat quippe de rebus Anglicanis, in quibus tum erat totus, aliquid audire. Nec solum peritissimum rerum sciebat esse Personium, sed & viri prudentiam, ac religionem iampridem in Lusitano perspectam, probatamque colloquio diligebat. Hoc itaque studiosius in præsens, nec benignitate modo singulari, sed etiam comitate hominem excepit, & audiuit. Quo vsus aditu Pater, postquam de rebus Anglicis disseruerat, restare quædam sibi dixit, quæ communi Societatis nomine, ac priuatim borealium Prouinciarum, inter quas, Angli omnes numerabantur, Regiæ Maiestati proponeret. Id autem potissimum esse, vt vellet interdictum quoddam tolli, quo Quasitores veterant homines Societatis Transyluaniam, & alias hæresi contactas oras, iniussu eorum adire. Nasci enim magni diuini obsequij impedimenta ex interdicto illo. Nam cum boreales nationes spiritualia postularent auxilia ex Hispanis ho-

166  
Honores mortuo habiti.

167  
Dionysius Valquius moritur Poenitens eorum, qua contra Societatem attentarat.

168  
Acofta, & Personius a Claudio Generali mittuntur ad Regem Philippum.

169

Personij  
Regi expo-  
nit quas ob  
causas vide-  
tur permitti  
debere ho-  
minibus So-  
cietatis tran-  
situm ad se-  
ptentriona-  
les partes.

170

Inde id de-  
cretum vñ  
abolutum.

171

Personij ora-  
tio ad Re-  
gem de Tur-  
bis domesti-  
cis Societa-  
tis in Hispa-  
nia.

minibus, siue ad conciones, siue ad Theologiam, siue ad confessiones, neque ea celeritate, neque ea libertate, qua opus esset Præpositum Generalem posse occurrere: præsertim cum haudquaquam constaret, vnum probaturum eisdem, Quæsitores essent, & tamen optimè omnium ipse esset, quos mitti oporteret. Sanè septentrionales Prouincias vehementer admiratas, atque adeò non leuiter offensas, quod tale vetitum communi inter se Christianorum charitati, per quam aliæ alijs nationibus mutua præbere auxilia, in religionis præsertim causa, tantaque necessitate deberent, parum consentaneum videatur. Deinde hanc propriè Societatis Vocationem, & gratiam esse, vt diuersa terrarum loca peragret ad Diuinum Verbum ferendum, & comoda animarum: quam vocationem, & gratiam, non Apostolica modo Sedes autoritate sua, sed etiam Deus ipse haud obscuris comprobaret argumentis, suum vbique suppeditando auxilium, vt effecta ipsa, & successus rerum docebant: eo igitur positò adnitendum, vt conseruaretur, & aleretur, quam vt interciperetur hæc gratia. Atque si res verè aestimetur, videri interdictum eiusmodi haud satis æquum. Quo enim suo merito Religioso Ordini suum ius imminui, & violari existimationem? Nempe hoc edicto id palam significari, ab illa alia mortalium forte, tantum impendere Hispaniæ periculum, ne hæresi inficiatur, quantum ab Societate. Ac proinde, quod neque alijs Religiosis, neque mercatoribus, neque militibus, nec demum vlli hominum generi interdictum sit, id visum esse necessariò illi vni interdicendum. Quam rem hæreticos ridere, multos Catholicorum indignari, querique, magnam diuino obsequio moram, nulla apparente causa, opponi ab ijs, à quibus remoueri, si qua esset, deberet. Ad extremum si nobiscum præcipua quadam cautione vtendum existimarent Quæsitores, non exitum ex Hispania suo iniussu, sed reditum interdicerent: ita quod præterebant, integritati Religionis in Hispania consulturos, nec septentrionis vsque eo laborantis comoda moraturos. Hæc vbi Rex benignè, attentèque audiuit, nunquam sibi eiusmodi rationes expositas dixit. Cogniturum quid causæ haberent Quæsitores, & remedijs allaturum. Inde vetitum illud vsu sensim abolutum. At Personij oratione rursus ad septentrionis oras relata, aptè inseruit mentionem sermonum, quos de præsentis Societatis in Hispania exercitatione, varijs modis, varioque cum audientium sensu, fama distulerat. Hoc enim vbique rumoribus vulgatum, id agi, vt militi in rebus instituta Iesuitarum mutarentur: inter cætera, vt haberet Hispania Commissarium, à quo sine respectu Generalis Præpositi regeretur: atque ita hoc membrum ab reliquo abscinderetur corpore. Porro ex hac fama hæreticis lætitiã, bonis Catholicis dolorem, ipsi Societati imminutionem concordiæ, & multa super hæc mala progigni. Quæ quoniam sciret Regi ab alijs Patribus explicata, duo tantum se indicaturum, quæ ipse semet obseruarat, & magnopere confesbat non Societatis magis, quam Regis ipsius causa, ponderari debere. Etenim dum gliscit sermo ille de rebus, quas pauci in Hispania mouebant, animaduertisse se ingens initium ingentis dissidij cæterarum nationum ab tota natione Hispanica; tanquam indignarentur hi coniuncti cum alijs nationibus, sub capite eodem viuere, & homini subesse, qui è natione sua non esset. Quæ abalienatio animorum si procederet, vt priuatim pestis, atque exitium esset Ordinis nostri, ita etiam manans foras, & ad sæculares Societatis amicos, fundens se se, non leuia olim Hispaniæ regno creare detrimenta posset. Multos esse æmulos, multos, vt optimè norat Rex, qui non lætis omnino oculis tantam Hispanorum felicitatem viderent. Se non in Lusitania modo, sed in Gallia, in Anglia, in Belgio, in Germania, in Italia fuisse, atque vbique obseruasse multos, parum æquos Hispanicis rebus, illos Catholica fidei odio, alios dominationis cupiditate, alios insita nationibus emulatio-

Soc. 50.

latione, alios aliâ causâ. At in hominibus Societatis, perspexisse ubique, non tantum in Religionis Catholicæ rem, sed etiam in regis illius Maiestatis obsequia insignem consensionem animorum, & propensionem. Atque hanc opinionem vidisse etiam in secularibus, qui ubique, simul ac Regi se aduersarios ferrent, Societatem pariter infestarentur, eo maximè nomine, quòd regiarum partium haberetur. Quod satis, in Lusitania, in Belgio, in Gallia, in Anglia, & alibi experimenta demonstrarant. Id autem non indè ortum, quod non essent Lusitani, Galli, Belgæ, qui in his erant Prouincijs, aut studio illo carerent, quod natura aduersus suam cuique Patriam insequit: verum ex vno, eodemque spiritu, quo imbuuntur, qui eadem disciplina, sub eodem capite informantur, ex communicatione eiusdem religiosi spiritus, qui per omnia fusus membra, sensum illum, atque impetum carnis & sanguinis, quo ad suos quisque contrahitur, moderatur, & ad iustam euangelicæ charitatis mensuram, ac distributionem perducit. Quæ concordia cum maximè alatur coniunctione in vnum corpus, sub vno capite, si hæc tolleretur, non minus, quàm cæteros mortales diuisum iri nationum in studia Societatis homines: quin, eo etiam vehementius, quòd aciores sunt experrectorum ingeniorum impetus: atque indè videre Maiestatem Regiam, quantum posset incommodi proficisci. Deindè cum Societas totum per orbem terrarum, sparsa esset, atque per Dei opem multum haberet ferme ubique apud principes quoque viros autoritatis, consideraret Rex quanti sua interesset corpus hoc totum habere, per vnum Præpositum Generalem ad obsequia sua promptum, atque tractabile, potius quam vnicum membrum: quod si semel ab summo auelleretur capite, in alias statim partes abscinderetur. Videbatur Rex aliquantum ea disputatione commotus. Itaque, primum, gratias egit Personio, de fide, qua rationes eas exposuerat. Deinde, nunquam fuisse id propositum dixit, vt Societas scinderetur; tamen illa omnia consideratum iri; & opportuna admouenda remedia. Hic Personius: non aggrediar, inquit, enarrare, quæ domesticis hisce turbis, noster Ordo damna susceperit; quanta animi deiectio, & formido in rebus curandis, Præsides inceserit; quanta confidentia, & licentia inferiores inuasit, quodque hinc necessarium est, quantam disciplina Religiosa stragem accepit: quæ & Vestra Maiestas ex multis accepit: atque ego ex idoneis comperi autoribus; exiguo hoc tempore plus detrimenti acceptum, quam multis possit annis resarciri. Satis est mihi duo illa capita attrigisse præsertim cum hac tempestate ille huic Ordini Præpositus Generalis præsit, qui multis nominibus regis est addictus rationibus, non modo quòd vestra in ditione natus est, sed multo magis, quòd tanta est religione, ac pietate, quantam omnes habent perspectam, & optimè nouit Vestræ Maiestatis causam, cum diuina causa esse coniunctam. Itaque Maiestatem vestram precor, vt habere mihi dignetur fidem sincerè, ac planè affirmanti, ex omnibus imperij vestri popularibus, non esse fideliozem quemquam, nec vestrorum commodorum cupidiozem. Neque Claudium habuisse tota sua vita quicquam acerbius, quam quod nequiuert adhuc assequi, quam in re Maiestati Vestræ non satisfaciat. Hæc cum sincero studio haud modicè commotus Personius latè exequeretur, haud leuiter Regem quoque permouit. Itaque perbenignè respondit, se de recta Generalis mente optimè sentire, idque re ostensurum, & rebus omnibus adhibiturum remedia. Denique peramanter finitum colloquium est, monito Personio, vt cum Ioanne Idiaquezio res easdem tractaret, cui ipsemet Rex paulò post dixit, cognouisse ex Personio se multa, quæ ante cognita oportuisset. Auditus subinde etiam est Iosephus Aosta. Is missum se propriè à Præposito Generali narrauit, vt Regiæ voluntati, quacunque fas esset in re fieret satis. Quod iam pridem moliebatur,

Hist. Soc. Iesu Par. v. To. n. r.

M M M

batur,

172  
Rex his rationibus mouetur.

173  
Detrimta Societatis ex his turbis exposita.

174  
Suspiciones aduersus Generalem e Regis animo tolluntur.

175  
Oratio Aco-  
sta ad Re-  
gem.

176  
Rex liberum  
Gubernatio-  
nis arbitriū  
Generali re-  
linquit.

177  
Visitatores  
in Hispa-  
niis missi.

178  
Monita Ge-  
neralis ad  
Visitatores.

179  
Paupertatis  
religiōse la-  
bes.

180  
Fructus Vi-  
sitationum.

batur, & difficultas temporum differre cōgerat, destinasse ipsum de So-  
cietate homines, qui Hispanas Prouincias viserent, Regique comperta-  
referrent, & ad eum modum quem Rex maximè ad maiorem Dei glo-  
riam probaret, componerent. Dignaretur hoc obsequium Rex accipere,  
suaque si quid velle palam faceret voluntatem. Rex ad hæc benigni-  
res præbuit aures, quam responsum optabilius dedit. Nihil enim in-  
præsentia, aliud, quam suo more, consideratum respondit. Idem tamen  
post aliquot dies, disertè denuntiavit: placere sibi, vt suo arbitratu Socie-  
tatem Præpositus Generalis administraret, & Hispanas Prouincias, per  
quos maximè iudicaret idoneos viseret. Quod responsum pro maximo eu-  
stimatum est beneficio, & propè in miraculis positum. Nam qui eius in-  
stitutum norant, existimabant, quod cōperat de visitatione per Episco-  
pum, vt benignissimè ageret, passurum mora antiquari, ac demum nul-  
lo clarè responso edito, omisurum. Sed tandem in manu Dei cor Re-  
gis est, ille quò vult inflectit. Iuere causam maximè Ioannes Idu-  
quezius ex externis; è domesticis Robertus Personius, & Sebastianus Her-  
nandus Lusitanus: quibus Rex nationum suarum nomine gratum cupiebat  
facere. In Societate multæ Numini actæ sunt gratiæ; & Visitatores, quos  
ante Claudius Generalis designarat, promulgati. Prouinciarum nouæ, ve-  
terisque Castellæ Ægidius Consaluius: Boeticæ, & Aragoniæ Iosephus Aco-  
sta; Lusitaniæ, Petrus Fonseca. Is in suam Prouinciam redierat: Ægi-  
dus, & Acosta habito inter se, cumque grauissimis Patrum, consilio,  
ad suos primo quoque tempore digressi, suum munus, auspicantur. Aco-  
sta ex Boetica, cuius Prouincialatum Ludouici Gusmani ex morbo inuali-  
di loco, Bartholomæus Perez de Nueros, ex Complutensis rectione Col-  
legij euocatus, recens susceperat. Ægidius à Castella veteri: cuius cum  
idem esset Prouincialis, vicaria demandata est cura Alfonso Montroyæ,  
qui Burgense regebat Collegium. Rebus componendis plurimum acutis  
adiumenti consensio inter se se, & Visitorum, & Prouincias admini-  
strantium. Serio admonuit Claudius Generalis, vt quando documentis  
adeo acribus, tantoque impendio Deus somnum, si qui irrepisset, ten-  
debat excutere, vterentur ipsi occasione ad profectum, restituere lapsa,  
stabilire labantia, promouere firma connitentes. Ante omnia insisterent  
formandis Reçtoribus, qui scirent, possentque Socios, curæ, fideique  
sua commissos, in virtutis perfectæ studio prouehere, obseruarentque,  
qui indolem præ se huius disciplina capacem ferrent. Rei etenim sum-  
mam in hoc verti cardine. Iussit pariter nominatim videre, ne quid de-  
trimenti paupertatis religiōse integritas pareretur. Iam enim experimenta  
edocebant, quanti intersit esse Collegia idoneis vectigalibus constituta.  
Quippe cum fermè omnia in his prouincijs premerentur inopiâ, quæ cui  
priuatim secularium donaret benignitas, haud ægrè Præsides accipi per-  
mittebant. Inde autem fiebat, vel, vt is cui donata erant, vti pareret  
prope vt sua; vel vt inuidiosè commodiora quibusdam, seu vestimenta,  
seu alia id genus essent, & interdum cariora, quam communis ferret  
consuetudo: vel denique, vt si qui vtilis Collegijs forent, eorum multa  
dissimularentur præter leges facta, ne tanta in egestate ille fructus exci-  
deret. Quod & per se plane erat intolerandum, & ei quoque rei pro-  
pter quam ferebatur, obstabat. Nihil enim perniciosius est rationibus  
Collegiorum, quam quod damnosum est disciplina. Hæc & alia, que  
correctione egebant, magno animo, magna bonorum omnium lætitiâ Vi-  
sitatores, ac Prouinciales dum corrigunt, identidem significabant Regi,  
quem inuenirent rerum statum, quid adhiberent remedia, quam bene-  
feliciterque Visitationis cura succederet. Nouo quodam ardore Nosocom-  
mia, & custodiæ frequentabantur. Nunquam plures è Collegijs omnibus  
in vicos, & pagos dimissi ad excolendos agrestes, Ibant denique res do-  
mi.

mi, forsque admodum è sententia, cum terror accidit notus. Conflans increbuit sermo, tres ad Episcopos postulatu Regis venisse ab Roma literas, nominatis etiam, si qui primorum desiderarentur, qui in eorum loca succederent, vt partiti inter se Regna cuncta, Religiosorum per Hispaniam Familias viserent. Diuersus inde rumor serpere, his nomen cæterarum Religionum obtendi, de vna agi Societate disputantibus, contra alios contententibus, vnam illam exceptam iri, vt quæ suam Regi, Pontificique probasset causam, perque Visitatores, è corpore suo faceret factis. Patres in tam vario hoc sermonum tumultu, habito inter se consilio censuerunt nihil cum Rege mouendum. Non enim simile vero videri, post tam benigna responsa, vltra quicquam ab Societate desideraturum, præsertim cum propiores ad se se Regiam mentem retorquerent curæ, Anglis magna classe Antonium, qui se Lusitania Regem ferebat, in eius Regni possessionem mittere tentantibus. Nec videbatur commissurus Philippus, vt tali tempore omnes inquietare videretur Religiosos Ordines, tantusque crieretur motus in cuncta Hispania, quantum illi haud dubiè excituri erant, vt eam ab se se inspectionem arcerent. Quod si denique appareret petendi; tum censurè Patres, ad auerendas populi suspiciones ob acta cum Quæstoribus, adnitendum omni ope, ne aut sola, aut prima Societas spectaretur. Quod per occasionem cum Regi Personius indicasset, agens gratias, quòd adhuc benignitas regia tanta illam sollicitudine liberalisset: respondit Rex libenter se fecisse, quod gratum Societati esset, & facturum in posterum. Quæ vox penitus omnem nouorum Visitorum curam exemit. Cum verò idem sub Gregorio XIV. rumor, ac metus rediisset, egit cum Cardinali Sfondrato Claudius, de prouidendo in omnes casus remedio. Ille pro sua benignitate, causæque æquitate, toto rem animo suscepit, & diploma Pontificium, quod Sixtino decreto abrogaret, scribi volebat. Cui Claudius videri sibi subiecit opportunius fore viuæ vocis oraculum, quod exciperet ipsemet, signarerque. Ita strepitum abfuturum. Haud aliter Cardinalis censuit, fecitque. Signataque eas literas P. Generalis in Hispaniam misit, vetans aperiri, nisi res cogeret. Si visitatio vrgeret, tum resignarent fasciculum: in eo quid ipsius consilij capiendum, ac præfens remedium inuenturos. Nec postea vsus, incidit. Iam Agidius, & Acoſta suo strenuè intenti muneri, præter cætera operam dabant, vt si quos perturbatorum possent, bonis artibus demulcerent, dedocerentque, & ad Religiosum officium reuocarent. Quos verò nullo modo reperiebant emendabiles, in eorum vitam, & mores sedulo inquirebant, vt notum fieret Regi, quod genus hominum esset, vnde in hac Sancta Republica pax adeo turbaretur: planeque semel inteligeret, quanta esset malorum causa, seu Regio, seu Quæstorum nomine & umbra homines eiusmodi tegi, vt disciplina franos ipsi petulantius remorderent; ac boni, siue peruerterentur, siue exagitarentur, interclusa Præsidibus omni via medicina faciendæ. Omnium post Dionysium, perturbatorum acerrimus erat Franciscus Abreus, idemque nec modo opinione, sed & vita adeo communi disciplinæ diuersus, vt cum desperaret Generalis Præpositus corrigi posse, iusserit à Visitatore Agidio admoneri, licere ei suas agere res, liberoque votis (nam professionem nondum emisserat) vitam extra Societatem suo modo temperare; nihilominus carum Societati, & obseruandum futurum in seculo. Percelluit primò ea vox hominem, nunquam fortasse ratum huc venturos Patres, vt literarum eius decora, & autoritatis præsidia vellent sibi ipsi subducere: dumque ex vna parte, vnde eiiceretur cogitat, & conscientiam fodiat diuinorum munerum contemptio, quæ tam multa hætenus frustra habuisset: ex altera etiam deterret infamia apud mortales, tanquam desertæ per ignauiam, aut ademptæ per malefacta Christi militiæ, adfuit ei Diuinæ lucis admodum

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. 1.

M M M 2

dum

181  
Rumores de  
Visitatione  
Religionum  
per Ep. scos  
pos à Rege  
decreta.

182  
Viua vocis  
oraculo So-  
cietati cau-  
tum.

183  
In Turbato-  
res inquisi-  
tum.

184  
Offeritur  
Abreò mis-  
sio è Socie-  
tate.

dum illustris radius. Animum inducit nullo modo à sacris, Castris abire: quin potius totam vitam corrigere. Colligit quicquid contra Societatis instituta exararat, eaque & libellos omnes ad eam rem pertinentes tradit Agidio in manus, ad Præpositum Generalem mittenda; ad quem ponderosas adiicit literas. Multum se adhuc errasse. Per civilium respublicarum occupationes omisisse precationis studium, usumque cum Deo. In de factum, ut pace animi paulatim amissa, vitam acerbam duceret, & ad noua molienda delaberetur; posthac alterum planè futurum. Ceterum confiteri imbecillitatem suam; ideoque per Christi viscera postulare, ut secum tanquam cum infirmo agatur. Fidenter igitur expositurum, quæ ad animi sui pacem, ut in tam multiplici, & corporis, & animi infirmitatibus necessaria erant. Primum petere se, ut liceret sibi ad suas, & Socij impensas, centenùm quinquagenùm nummùm aureorum vestigal annuum possidere; quod ne ulli Collegio graue esset, suis de iure se paraturum responsis. Deinde petere, ut nulli subesset Præsidium, nisi ipsi Generali, & Agidio Consaluo. Tum ut quacunq; in Prouincia videretur, domicilium habere fas esset. Postremo, si maturus professioni non haberetur, at certe literas sibi Præpositus Generalis daret, quæ dicerent esse ei potestatem quodcumque vellet profitendi. Necessarias esse has literas, quanquam iniussu Præpositi non esset ad professionem vsurus, ad conferuandam rectam de se opinionem, ne illo gradu videretur excludi, quod esset indignus. Has literas vbi Claudius vidit, ex remedijs ipsis, quæ petebantur, intellexit insanabile malum tractari; tamen, ut nihil intentatum relinqueretur, idque ipsum æquius iuxta, atque iniquis manifestum fieret, quantum indulgentiam disciplinæ fas esset extendere, concedendum ratus, in hunc modum rescripsit. Quamquam pergratum mihi fuit, quod ad eodè mecum aperte agas, vehementer tamen dolui per occupationes, quæ non permiseris, ut te totum Deo, orationique, & pijs exercitationibus traderes, factum, ut in eum statum, quem significabas redigeres. Mirum id tamen non est: nam ea cum deessent præsidia, & occupationum plus satis esset, necesse erat, ut animo destituto vi, nutrimentoque spiritali vitæ necessario, onerosa fieret religiosa disciplina; idque eo magis homini dotibus istis ornato. Laudo, quod libellos ad me eos miseris; utar ad cognoscendas necessitates, & remedium ex ipso instituto afferetur. Nam plane est in ipsis Societatis legibus, vnde quibusuis occurrere possit incommodis, ut iam spero, postquam resederit animi perturbatio, quæ hactenus te exagitatum dicis, ipsi tibi comperit. Ceterum ea, quæ postulas, quanquam tantam habent difficultatem, ac nouitatem, quantum ipsemet intelligere potes; tamen eadem declarabunt, quantopere cupiamus tibi consultum. Dedimus enim operam, rationemque ut eam iniremus, per quam, & priuatim commodaremus tibi, & publicum damnum, quoad posset inde prohiberemus: ut plenius ex Agidio Visitatore cognosces. Quod plurimum ego velim id est, ut ad redintegranda, & statuenda, quæ modo concussa sunt, totam applices curam, institutum, genusque viuendi Societatis, quæ par est voluntate confirmans, eo magis, quod industria in hac re tua, multum, ut audio, momentum habebit. Porro ad Agidium super ijs postulatis scribens. Quamquam ad vnum ipsum Agidium, ac Præpositum Generalem contracta obedientia, fenestram periculoso exemplo aperiret nonnulli licentia, atque offensionis (omnis enim æqualitatis violatio grauis est vitæ communitatis) tamen concedendum dixit, sperans, recto immunitatis eius vsu, ipsummet Abreum pericula auersurum. De Prouincia, aut Collegio pro sua voluntate inhabitando, item concessum est, cum eo solum, ut, quoniam ipsemet in Agidij potestate volebat esse, ad eum referret; quod etiam pertinebat ad totam rem mollius, ac sine cæterorum querimonijs administrari.

185  
 Eius voluntas perseverandi, & propositum emendationis.

186  
 Postulata eius religiose disciplinæ parum congrua.

187  
 Literæ ad eum Generalis.

188  
 Quanta indulgentia Generalis egerit cum Abreo.

strandam. Reditum annum centum, & quidquaginta nummum, adeo alienum esse ab omni religione, ut neque Societatem, neque ipsum deceret Abreum, praesertim quod mercenaria opera interpretandi iuris quaerendus esset. Placere Generali non centenos quinquagenos, sed plane duccenos ipsi, & Socio nummos aureos, & quicquid praeterea ad libros, vestem, ac ceteros usus, foret opus a Procuratore Prouinciae suppeditari: ita luculentius ei prouisum fore, & absque patrociniolorum molestijs, quibus omnino abstinere in posterum deberet. Quod pertineret ad Professionem, persuaderi sibi pateretur, nullo modo, quas pteret, fas esse, concedi literas. Nam praeter conscientiae onus, rem omnino foedam Generali, nihiloque minus Abreo ipsi futuram. Det ipse operam, ut se se, quem debet praestare, nullum ei ab Generali solatium, honorem, praemium defuturum. Haec omnia ubi cognouit Abreus, non potuit, siue charitatem Generalis, siue sapientiam non probare. Ceterum ulterius progressus erat, quam ut salutari medicina locum sibi ipse reliquisset. Itaque, ut in loco reddatur, post tentata omnia, ad extremum minore etiam, quam multi rebantur, Magnatum strepitu, missus est. Verum, ecce tibi, dum vnum sanescebat malum, ex ipsamet curatione sensim sine sensu concipiebatur alterum. Nam quemadmodum in humanis corporibus, longus, ac multiplex languor saepe in collectionem aliquam coit, unde ad extremum erumpit; ita varia, & grauis haec tentatio, in Congregationem Generalem, qua quarto post anno habita est, caput fecit. Praecipuus autem eius fuit Iosephus Acosta, & iam nunc telam coepit ordiri. Quid speraret, an Generalem nouum creandum, ubi & sui ratio haberetur, an aliud quid e sua sententia posse decerni, affirmare non ausim. Ad ipsummet Claudium post coeptam Visitationem scripsit, dum praesentibus malis remedia conquiri, opportunam fore Congregationem, Generalem sibi in mentem venisse. Id ei qua fidelitate, ac simplicitate par esset, significare voluisse. Excepit consilium Claudius, a quo animo paratus exequi, si ex usu videretur; & Acosta in haec verba respondit. Sapius egi cum Patribus Assistentibus de Congregatione Generali, quam iam ipse demonstrat, videatur ne in emolumentum rerum nostrarum cessura; verum omnes omnino censuere, nullo modo necessariam esse, praesertim cum Prouinciarum sententias cognitatas habeamus: quarum pars maior existimarunt, non modo minime necessariam, sed etiam valde incommodam pro ratione temporum fore. Iam vero accessere Gallicani tumultus: inter quos ea Prouincia, nullo modo possent, neque suos habere conuentus, neque Romam Prouinciales, binosque designatos mittere. Atque ut haec minus difficilia essent, ob infestorum itinerum impedimenta; tamen ad earum Prouinciarum administrationem, summi esset detrimenti, quod nemo dubitet, qui statum earum cognitum habeat. Praeterea post paucos menses habendi conuentus sunt ad legendos Procuratores, quo tempore, uti nosti, caput illud tractatur, an sit cogenda Congregatio: rum adierunt vertente anno Procuratores, ex quibus cognoscitur, & necessitas, & sententia Prouinciarum, deque re tota certius statuetur. Verum spero si vos adnitamini, ut coepistis, & remedia, quae decreuimus adhibeatis, medicamento tanti impendij opus non fore. His receptis literis magis desperauit Acosta, posse quod moliebatur ab Societate impetrare, quam uti obsequij obseruantem decuisset, sententiam suam communi subiectam, exinde curam deposuit.

Dum haec intus per Hispaniam turbarum Societatis domesticarum, reliquiae tument: externa quoque illam agitarunt procellae, quae inferius commodiori loco referentur. Cum interim pro benignitatis suae more non desisteret Diuina prouidentia, solatia molestijs inspergere. Non enim solum prospere confectum est in Regia, quod de pecunia ad Collegium,

189  
Abreus ad  
extremum  
dimissus  
Societate.

190  
Acosta cepit  
moliri Con-  
gregationem  
Generalem.

191  
Rationes ob  
quas ea tunc  
minus oppor-  
tuna videretur.

192  
Subsidia  
Collegiorum  
Hispaniensis,  
& Madritani.

Vallisoletanum Anglorum Seminarium conditum.

sua in Vrbe nouum adificandum Hispalensis Ciuitas agebat: & ipse Rex Madritano Collegio stipem haud modicam dedit, sed etiam in magnum rei Catholicae subsidium Vallisoleti Anglicanum Seminarium conditum est. Ve in tanta perturbatione temporum, Remense, & Augense Seminarium in Gallia Regno summis rei familiaris premebantur angustijs. Nec plane Augense inter armorum strepitum, & hostiles irruptiones tenere se poterat itaque breui penitus dissolutum est. Guilielmus Alanus Catholicorum Anglorum columen, creatus à Pontifice Sixto Cardinalis, tametsi multum autoritatis adeptus erat, tamen per angustias facultatum amplissimi eius gradus splendorem sustinere vix poterat. Hæc dum Personius incommoda circumspicit, simulque collustrat animo, omnes laxamentorum vias, cogitationem in benignitatem Catholici Regis defixit. Quod cum Romæ Alano, Claudio Generali, & alijs ad quos pertinebat aperuisset, satisque Claudius probaret; non pauci fuere, qui vehementer obstitent, non esse tempora memorantes, quibus deceret auxilium ab Hispania, vel petere, vel sperare: tamen persudiosè ductu numinis implorato, ipsemet Personius in eam procuracionem destinatus est, iussus (vt supra memorauimus) rem quoque Societatis communem tractare apud Regem, si opportunus locus incideret. Qui cum & ante discessum, & in itinere toto, summis, & assiduis precibus precari Diuinam clementiam nunquam desistisset, vt tam graui, istaque in causa adesse velleret, plane votorum omnium factus est compos. Nam præter ea quæ communiter Societati, vt relatum est, commodauit, primo statim cum Rege congressu Augensi, Remensique Collegijs, mox etiam Cardinali Alano opportuna exorauit subsidia. Tum auræ tam secundæ vtendum assilatu ratus, illic adiecit curam, si quo certiore, atque vberiore possit genti suæ gratificari beneficio. Quippe Hispania non propter publicam modo tranquillitatem, sed & propter florentia sapientia Diuinæ studia, & Catholica Religionis sinceritatem; tum ad literarum, tum ad pietatis profectum, exuli Anglicanae iuentuti sedes peridonea videbatur, Rege hoc rerum statu, tanto facilius sanctissimam causam suscepturo, quod si procederet bellum, hoc plures habiturus erat operas, ad restituendam Religionem paratas, si non procederet, subsidium hoc restabat vnicum, ad conseruandas in eo Regno sinceri cultus reliquias. Nec sua Personium coniectura, spesque deludit. Vt primum Rex adeo Christiani operis fructus commoditatesque cognouit, domesticum, ac templum, exordiando Vallisoleti Seminario destinauit in Hospitali domo S. Cosmæ. Addidit Consilium Regium diploma, per quod tota Hispania conquirere in eam rem, stipem liceret. Nec sane creditu facile est, quam & Regij consiliarij prope omnes, & Cardinalis Quiroga, & Magnates plerique, volenti animo, ac liberali accesserint. Quorum ornatus literis, cum Vallisoletum Personius ineunte Augusto venisset, non ita res ibi promptas inuenit. Sodalitas hospitalis domus S. Cosmæ curatrix, statim misso ad Regem Legato, excludere Collegium contendit: quod nec opportunam haberet Xenodochium illud habitationem, & multi amicorum eò propendebant, vt domus conduceretur Societatis Collegio proprio, vltro non ad victum solum alumnorum, sed & ad conductionis pensionem, stipe oblata, vt sine cuiusquam offensione quietius res transigeretur, ac citius: cum haud dubiè itura in longum apud Regem, si lite contenderetur, causa esset; omissa hospitali, ad conducendam domum curam adiecit. Sed noua interuenit difficultas. Vigil enim Inquisitor grauitè cepit obistere, etiam, atque etiam cauendum clamans, ac præmonens, ne per eius Collegij occasionem, fides inquinaretur Hispania. Vix quemquam esse ex Anglicanis gentibus, non hæreticum. Errare nonnullos, vagantesque per aliena Regna, idque, vt impunè liceat, dissimulare, quam fouent animo hæreticam pestem, vbi nanciscantur materiam, omnia infecturos. Sed

193  
Regis Philippi liberalitas.

Sed & eius hominis, & aliorum quorundam suspiciones huiusmodi non solum confutavit oratione Personius, verum ipsa etiam aliquot Anglorum, perspecta virtus. Cum enim venissent iam Vallisoletum nonnulli, ijque dati essent in carcerem, tanquam suspectæ fidei, non solum religionis integritatem, verum etiam modestiæ, & cæterarum virtutum egregium specimen præbuere. Breui itaque dilatæ suspiciones sunt, mutatiq; adeo omnium animi, vt vigesimo post die, quam Vallisoletum Personius Madrito venerat, initium factum sit contubernio, duodecim in eo constitutis alumnis conducta in domo. Multi statim nobilium eam domum inuisere, spectare munditiam, disciplinæ ordinem, modestiam iuuenum commendare. Quæsitores quoque Caietanus, & ipse Vigil summopere cœperunt fauere, nec modo prædicabant opus, sed & Regi, & Cardinali Toletano suis literis commendandum putarunt. Ita demum sanctum illud plantarium creuit, vt extremo hoc anno, prope viginti, proximo ad quadraginta generosæ soboles numerarentur: denis aureorum nummum millibus, ad cœmendandam domum corrogatis, bonaque summa in alimentorum impensas, ex voluntatiâ piorum hominum largitate, antequam Rex quicquam, præter fauorem impenderet. Anno insequenti comparata, & aptata domus, & Rege, & alijs conferentibus certum vectigal constat. Administratio Societati permessa est, quò promptius cum Seminarijs cæteris, & Anglia ipsa, ad euocandos, & remittendos alumnos commercium foret.

Bonorum plenus dierum in Methymnensi Collegio venerandus senex Petrus Arriaga in benedictione requieuit: qui cum ætate processisset, & vitæ insueuisset delicatiori, adeo cupidè Societatem expetiit, vt sine fine pulsanti tandem Antonius Araozius, anno seculi huius septuagesimo, propter improbitatem (vt est in Sancto Euangelio) magis quam, quod amicus esset, aperuerit. Et ille, vt ad seruitutem Dei accesserat plane animo seruiendi, quamuis offerretur facultas, literas quæ ad Sacerdotium sufficerent, addiscendi; tamen maluit in Laicorum statu, laboribusque perseuerare, quibus addebat quotidianam sui diuerberationem, & alia carnis tormenta, & multum vigiliarum, postremus domesticorum capeffens, primus interrumpens quietem, quò plus contemplando, orandoque Deo vacaret. Nullum prætermittebat diem, quin pro animabus, quæ purgantur, quippiam religiosi operis Deo offerret: euenitque vt ipse aliquot dies, mirantibus valdè Medicis, qui nec venarum iam pulsus, nec quid vitam conseruaret, inueniebant, moribundus perseuerarit, vsque ad eam noctem, quæ anniuersariam defunctorum commemorationem inchoat. Non solum autem Societati se se tradiderat, sed postularat enixè, & impetrarat à Deo, vt vnicus, quem habebat filius eodem accederet. Is fuit Emmanuel de Roias, multos annos Theologiæ professor. Tum Pater, ac Filius, etiam sua omnia Dei obsequio dedicarunt: in quibus fuit mancipium ex Æthiopia innocentia singularis, qui Collegio Methymnensi tam fideliter, tantoque exemplo, quoad vixit, seruiuit, vt ægroto quidam nostrorum Patrum, de genu pedes abluerent, cumque veneratione tanquam viro Sancto seruirent. Pridie Kalendas Martias decessit Madrito Franciscus Castrius Sacerdos perspectæ virtutis, qui inde à puero ad pietatem, ac nominatim ad S. Francisci instituta propensus, tandem Religiosi Carthusiani magni nominis consilio, annum agens tertium supra trigesimum, ad Societatem venit anno 1566. Ad ponenda tyrocinijs rudimenta Villaregium missus, ita probatus est Villaregiensi Domino Ioanni Paceccho eius domicilij parenti, vt conscientia suæ rectorem, ac iudicem legerit: totosque annos sex, quibus ibidem Castrius mansit, habuerit. Eo tempore præter aliam oppidanis operosi cultoris munera, exhibat frequens in agrum pedes, nec alia terens hospitia, quam publica pauperum, nec aliunde, quam emendicato vicatans, Diuini Verbi pabulum, & Diuina Sacramentorum

phar-

194  
Difficultates  
obiectæ Se-  
minario su-  
perantur.

195  
Bona mors  
Petri Arri-  
agæ.

196  
Francisci  
Castrij felix  
ex hac vita  
transitus.

Virtutes  
eius, & res  
bene gesta.

197  
Ioannes à  
Fonte bonâ  
vitam benè  
claudit.

pharmaca agrestibus diuidebat. Quo genere vitæ dein Caranacæ, Oceaniaque pertinctus, ad vltimum translatus Madritum, præ singulari forma innocentia, verus Israëlita nominari solebat. Ita (quod animi in plenum compositi est documentum) exacti oris, vt nihil vnquam ex eo, nisi ferium, & graue audiretur, nihil quod frustra dictum videri posset. Numirum cum plurimus esset cum Deo, inde trahebat, quemadmodum esse cum hominibus oporteret. Mortuus est Villaregij, quò impetrauerat senectutem concedere, vt inter Nouitios moreretur. Ioannis à Fonte probata, multiplici Marthæ ministerio virtus, eò præsertim memorabilis est, quod ante initam religionem acitabat. Nam cum ex Vallouaro Aragoniæ Oppido, vnde erat, Complutum venisset, vitamque manuum labore tolerare, quotidianam operam locans, tamen non modò diligenter Sacramentis, & precationi operabatur, sed etiam ex eo, quod partim suis detrahebat viribus, partim laboris contentione conquirebat, adolecentem alebat Scholasticum, qui instructus idoneis literis ad Diuinum obsequium, ad aliquem se Religiosorum cœtum aggregaret. Quam charitatem rependit ei Deus, ardenti vocatione immissa, ipsoque ineunte anno 1556. ad hanc suam Familiam perducto, & in ea post longum multa in æternitatem quærendi spatium, felici ei demum exitu Kalendis Ianuarij attributo.

198  
Causam Col  
legij Conim  
bricensis pru  
denter Fon  
seca apud  
Regem agit.

Conimbricensis Collegij causam cum adhuc quidam vrgerent, suadentes Regi Philippo, inspectionem eius, quippe vt partis Academia, ad ius Regium spectare: multum consideratis oneris, & exempli talis incommodis, censuit P. Generalis, potius ipsi renunciandum iuri docendi, & Academia quicquid ex ea possideretur restituendum. Id cum scilicet, Regi Fonseca ad Escuriale quinto Kalendas Aprilis hunc in modum exposuit. Cognouisse Præpositum Generalem, Academicorum quoddam Conimbricensium, & Regios Academia eius Procuratores cupere, vt inferiorum, disciplinarum classes, Humanitas, ac Philosphia, quæ tanquam ab Academia auulsa corpore, Collegium Societatis tractabat, in pristinum statum redigerentur, vnde eruditi, peritique formari homines possint, successuri in disciplinas superiores. Hoc vt expriment non leuiter exercere Collegij Patres, regioque Procuratores discitare, suum ipsos nequaquam implere munus. Cæterum quanquam facilè manifestum extra causam positum sit, nihil ex Patribus iure desiderari; tamen Claudium, quod cognouit gratum fore Maiestati Regiæ, si ea redintegratio fieret, cupientem quacunque re possit, votis eius obsequi; iussisse, Fonseca, nomine ipsius, cedere iure in Conimbricensi Academia, docendi, omnibusque redditibus, quos Collegium docendi nomine possideret: id verò cum eo solum velle Generalem, si Rex in amplius cessurum Academia commodum existimaret: si autem secus censuerit, Societatem, qua alacritate, conatuque quartum, iam ac trigessimum annum in eos labores incubuit, duraturam, in posterum. Laudauit vehementer Generalis prudentiam Rex, & consideraturum dixit, quid in rem communem esset. Tantum verò absuit, vt Doctrinæ eum Societatis poeniteret, vt censum quoque Collegij amplificari iusserit. Vix è Castella Fonseca in Lusitaniam se receperat, cum Claudij literas, quibus Prouinciæ Visitator decernebatur, accepit. Sed distulit rem primùm Regni tumultus, tum quod certis à Rege nominatis, qui Regni statum recognoscerent, in eorum numerum cooptratus, & ipse est.

Et obtinet.

199  
Exercitum  
Anglorum  
Vlyssiponi  
admotus;

Sub Maium extremum Angli cum Antonio Notho magna classe ad Lusitaniam oram appulsa, Olyssiponem versus egere militem. In eo multum rerum ex Collegio, domoque Professorum, quod vtraque ea sedes extra Urbis mœnia sita est, multis iuniorum Eboram, & Conimbricam, abductis, lecti dumtaxat viri relictis sunt, qui Ciuitati religiosam operam, vbiunque vsus ferret, nauarent. Cæterum cum iam prope mœnia ho-

stis adesset, & domus Sancti Rocchi, quam opplerant milites, primo obiaceret discrimini, P. Hieronymus Diaz, qui Praepositi locum tenebat, vt homo minime militaris, praetimore stationem suam deserere, recipereque se in tutiora, pudori sibi non duxit. Aduit tamen e Collegio Rector, praesentique animo, & industria, res ita administravit, vt nihil ultra desiderari posset. Anglus frustra tentata vrbe breui abscellit: Domi tamen nostrae haud modicum damnus acceptus est ab impositis militibus: inter quos fuere, qui sperantes tum se nacturos cuncta pro libidine rapiendi licentiam, si residuis Patribus plane vacuam domum fecissent, non dubitarunt per infamem calumniam criminari fidem eorum. Apertior erat delationis vanitas, quam vt quicquam ipso discriminis tempore mouendum Principi videretur: quia tamen tam suspicioso in genere versabatur, post recessum hostis diligenter inquisitum est Regio iussu; quemadmodum, se homines Societatis inter obfidionem gessissent: nec quicquam extra ignauum illum Hieronymi Diazij pauorem repertum. Ineunte Autumno Olyssipponem appulerunt ex India Franciscus Monclarus, & Michael Rogerius. Goâ Monclarus Prouinciae Procurator discesserat; Malacâ Rogerius propriè missus, vt de Iaponia, ac Sinarum statu Generalem Praepositum edoceret. Ad Insulam S. Helena, post bonae spei promontorium Indicae naues, & Malacenses, magnoque suo gaudio Rogerius, & Monclarus conuenere. Inde cum ad Insulam Tertiam venissent, Malacensis oneraria iactis iam ancoris, vehementi procella rudentibus fractis, allisa ad terram perijt, vectoribus saluis. Ita in Pratoriam indicam, qua Monclarus vehebatur Rogerius se recepit. Cum his indicis nauibus Kal. Aprilis, anno superiore, alia vela fecerant, Brasiliam petitura, in ijsque, quinque de Societate. In Pratoria S. Lucae eum Francisco Giraldo, qui Brasiliae ibat praefuturus, duo Sacerdotes nostri Petrus Aluarius, & Antonius Botellus vehebantur. Cubernator Franciscus Giraldo, cum quindecim dies in Infula Materia substitisset, caetera classe, quae praecesserat, secundo vsâ cursu, ad oram Guineae quadraginta errauit dies, Malaciae Aequatorem transgredi prohibente. Denique, cum nec progredi, nec ad Brasiliam alicunde posset cursum deflectere, versus nouam Hispaniam vela tetendit. Errauerunt per eius Oceani Insulas inter multa pericula, toto eo tempore, quo naues, cum quibus soluerant abiere in Indiam, ac redire. Eodem die, quo haec mercibus onusta redeunt ex India, & ipsi ab longa defatigatione inanes appulsi ad Tertias, & inde coniuncta navigatione Olyssipponem portum intrarunt xvii. Kal. Octobris, post annum, ac semestrem errorem, Sacerdotibus nostris, eò minus otiosum, quod multa in adiuuandis animabus vectorum, praclare gesserunt, & ex obedientia nauigantibus, siue in Malacia cursus, siue in errore, progressus est. Animaduersa est singularis quadam indulgentia Sanctorum tutelarium erga Olyssipponenses: nam cum ea Ciuitas duos habeat Patronos Antonium Patavianum, & Vincentium Martyrem, die S. Antonij Anglicana classis legit anchoras, & die translationis Sancti Vincentij Classis Indica iecit: eo mirabilius, quod diei dumtaxat vnus praegressa iter, armatam Anglorum classem ipsa prope inermis euasit.

Magnum virtute virum Caelo dedit 6. Idus Aprilis Lusitanica Prouincia Leonem Henricum. Is ortus nobili stirpe in Materia Infula, Lutetiam fermè duodennis à Parentibus missus, dum in Collegio S. Barbarae sub Adriano Turnebo Latinas literas discit, Ignatium, ac Socios nouit, & à Fabro prima pietatis disciplina eruditus est. Per occasionem dehinc condita à Ioanne III. Academiae Conimbricensis, reuersus in Lusitaniam, eodemque Societate iam introducitur, peragrè tulit Ludouicum Consalium, sibi & sanguine, & disciplinae contubernio charissimum, posthabitis egregijs, quibus abundabat, in saculo crescenti praefidijs, in eam nomen

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. I.

N N N

dedif.

200  
Calumnia in  
Societatem  
purgata.201  
Aduentus  
duorum Pa-  
trum ex In-  
dia.202  
Alij solunt  
in Brasiliam203  
Sed post lon-  
gum errorem  
redeunt.204  
Olyssipponen-  
ses fauorem  
Patronorum  
S. Antonij, &  
S. Vincentij  
probant.205  
Ortus, &  
prima studia  
Leonis Hen-  
ricij.

206  
Auersio eius  
à Societate.

207  
Et miram  
cam vocatio

208  
Dotes eius,  
& virtutes.

Doctrina, &  
varia mune-  
ra rectè obi-  
ta.

209  
Cardinalem  
Henricum  
absens sanat

210  
Alia de illo  
mirâ.

dedisse. Nec in circulis abfistebat verborum aculeis, ignarus quod vsque eo reprehendebat in altero, se propediem ipsum, præ cæteris mortalium, bonum optaturum sibi. Vix dum verterat annus, cum inter supplicacionem celeberrimam, qua Christi corpus Conimbricæ honoratur, meriti eius immissa cogitatio, quod solus ipse in tantò omnium plausu, cultuque, nihil Deo honoris deferret, ita adhæsit, assiduè stimulans, vt Sancta anni insequentis hebdomada, dum solus præcipuò studio, sacras circumit ades, in quadam flexis genibus, ante Sanctissimum Christi corpus, haud sine lacrymis se se offerre Deo paratum ad omnia coepit, rogans vt voluntatem sibi aperiret suam, vel Religiosum Ordinem, vnica Societate excepta, quemlibet ingressuro. Ita autem precatus, vt primum leuare parabat genua, videbatur semper Deus obfistere, atque ob exceptionem adiectam, totam respuere oblationem, donec ad extremum fatigatus, totum se Deo permisit, diuinæ eius curæ liberum omnino delectum disciplinæ relinquens, in qua gratum ei præstiturus obsequium esset. Nec post multo Ludouicus Consaluius Valentia, quò rudimentorum causa primorum secesserat, Conimbricam redijt: quem cum inuideret Leo, templum ingressus, ita commotus est, tanquam clara voce, *Da se Societati*, Deus inclamaret: acerbè conscientiam torquens, vbi ab ea voce curam ille auertere conabatur. Itaque & eodem loco vouit se ingressurum, & domum 6. Kal. Maias receptus est, sexto & quadragesimo eius seculi anno; altero, & vigesimo ætatis suæ. Statura erat pusillus, at feruidus, acer, magni animi: quam vim omnem, cum ad pietatis studia seriò contulisset; in sui contemptu, obedientia, studio precationis, cæteraque disciplina; tantum breui profecit, vt anno euoluto, singulari legis beneficio creatus Sacerdos, Nouitijs, Laicisque instituentis Fratribus, & eorum confessionibus audiendis præfectus sit: quo tempore simul Domesticis quæstiones explicabat conscientia (primus enim ille de Societate has in Lusitania explicauit) magnum Doctrinæ nomen adeptus, vt & Martinus Azpilcueta tum Conimbricæ Iuris Canonici professor, de eo in Manuali suo veteri mentionem fecerit, tanquam de viro; Doctrinæ, sanctitatique præstantis. Neque eam quæstionum conscientia explanationem intermisit, cum Conimbricensis, anno 1552. ab Ignatio Collegij Rector creatus est. Euocatus inde ad Eboresensem regendum, suæ documentis virtutis cum Cardinali Henrico, qui deindè Rex fuit, admodum probaretur, admiranda incidit res, quæ amborum inter se animos, mira charitate coniunxit. Anno 1556. Cardinali ex quibusdam in corde punctioibus Olyppone grauius ægrotanti, per noctis silentium Leonem vigili apparuisse ferunt, ac bene sperare, & locum doloris ostendere iussisse, demonstratumque Crucem signasse, continuèque dolorem sedatum esse, & suauissimum ægro soporem inrepsisse. Post autem orta luce Cardinalem omnino valentem excitatum esse, ac de Leone interrogantem, eum quidem, nequaquam Eboræ motum, sed miraculo restitutam sibi valetudinem deprehendisse. Ita idem postea solebat narrare, & Leo sub vitæ finem iussus rem prodere, ita sanè affirmare solitum Principem respondit, non tamen illud suis euenisse meritis, verum summo Dei consilio, vt Cardinalis, ex quo status Societatis, atque progressio tantum futurum erat, vt penderent, toto in eam animo afficeretur. Protinus enim postulauit ab Lainio sibi Leonem in Confessarium, habuitque dum vixit. Cæterum alia in genere hoc de Leone narrantur miracula. Et Conimbricæ homini nocte intempesta ad suspendium eum recte tendenti, visum cum in Collegio esset; & parenti suæ Ioannæ de Abreo animam agenti in Oppido Pontis Solis Insulæ Materie, dum ipse Romæ in tertio Generali conuentu versabatur. Postquam Eboræ complures annos præfuerat, creatus à Borgia Prouincialis, id munus ad septem continuauit annos: quo tempore etiam inter consiliarios sacrarum

Soc. 50. A  
 quæstionum cooptatus est. Mortuo Borgia, quid Romæ in generalibus Comitibus mouerit, suo loco narrauimus. Reuersus in Lusitaniam rursus Eboresse Collegium rexit: deinde post mortem Regis Henrici Bracarense. Hinc ad Professorum domum Olyssipponem æuo iam grauior translatus, non minus priuati religiosi exactum exemplum præbuit, quam ante boni Præsidis præbuisset, se uero ubique propior, quam remisso. Annis plus viginti Cardinalis dein Regis Henrici Confessarius, cum simul, è Quæstorum consilio, & nunc Rector, nunc Prouincialis esset, nec adiutorem, vnquam voluit ad cubiculi sui, seu corporis labores, nec vestes nisi paupertate insignes: nec licet à Principe accerferetur, equos ex aula, clitelario iumento contentus: nec facillè cubiculum domi, cubiculo eius spoliarius, ac pauperius cernebatur: nullas denique pati voluit à communi disciplina exceptiones, quibus tamen frequens, ex calculo dolor, non specioso solum obtentui, sed & iusto patrocinio esse poterat. Quin præcipuo quodam pietatis sensu, amans; commendansque communia, cum in iuniorum aliquando conuentu interrogasset, quem quisque Sanctorum maximè coleret, & alij alios nominarent; ego verò, inquit, præter Cœli Sanctos, ostendam vobis, cuius volo vos perstudiosos esse, nobilem Sanctam in terra, eaque est Sancta Communitas. Tantum aberat ab quærendis sibi, suisue per Principis familiaritatem emolumentis, vt propinquit id modo precarentur, impedimento ne foret. Et ille habebat in ore, non ideo sæculum ab se relictum, vt secularia suis curaret: nempe intelligens nihil esse absurdius, quàm, vt quibus propter arctiorem naturæ nexum, tanto magis eadem quæ nobis velle debemus, omnino contraria, quæque ipsi reijcimus, ac formidamus, ea velimus. At incrementa Societatis, gnarus ad commune Regni spectare bonum, prudenter in loco curare non desistit. Ne gratiam Principis ad inanem adulationis, & famæ suæ amare potius vsum videretur, quam ad materiam ei rectè ac benignè faciendi suggerendam. Nec verò facillè dictu est, quanto studio conseruandæ Societatis disciplinæ, probæque existimationis arderet. Hic totus eius seruior effundebatur; hic flagrans zelo, spiransque ignem, & contabescens, si quod daretur scandalum, nullam capiebat quietem; publicis, priuatisque tonans sermonibus, legumque vel minimarum custos perinde, & exactor acerrimus. In Prouinciali conuentu, cui supremo interfuit, dum de perfectione obedientiæ ageretur, in mandatis quoque æstimatione seculi minus nobilibus, conseruanda, progressus in medium, à Prouinciali institit clara voce, magnoque conatu flagitare, vt nullo respectu multæ suæ ætatis, sed exiguæ virtutis, neque quam multis in Societate vixisset annis, sed quàm paucis obediisset, ex eo die, tanquam vltimum Nouitiorum, vellet se se tractari, cædique iuberet publicè, si quid vsquam tergieret. Insigne narrant vsque ad extremum spiritum, precatationis studium eius, ac meditationis fuisse, vt sæpè denas in die negotioso illi otio, genu flexo horas insisteret. In Bracarense Collegio, post Regis Henrici finem, quotidianæ vitæ eius hic tenor erat. Communem horam meditationi consueto tempore impendebat: ab ea faciebat sacrum domesticis in priuato sacello. Secundum sacrum in sacello eodem horam alteram, genibus nixus orabat: tertiam à meridie orationis horam in suo conclau adiciebat scholarum tempore: multum præter hæc sacrarum lectioni rerum permixta meditatione impendens. Tum sua excutiendæ conscientiæ consueta spatia, suaque penso Sacerdotali, quod totum, quamvis senecta fractus de genu persoluebat. Inuentum sapius rerum diuinarum contemplatione, extra sensus raptum, aliquando etiam in aère pendentem ferunt. In toto vitæ cursu, quò magis apud Magnates, rerumque Dominos erat in pretio, & maiora in Societate obibat munera, tantò se ipse humiliter abiciebat; infima quæque ministeria, & fordidissimos interdum labores assumens.

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. 1.

NNN 2

ita

211  
 Variæ præfecturæ.

212  
 Studium paupertatis.

213  
 Propinquos non promouet dum in aula floret.

214  
 Ingens eius amor in Societatem.

215  
 Vita eius post excessum ex aula.

216  
 Vilibus ministerijs se exercet.

ita vt non solum purgare culinæ vasa, quod palam faciebat, sed etiam latinas euerrere, ac tergere deprehensus interdum sit, quod furtim vitandæ ostentationis causâ faciebat. Quæ tum maxime exercebat, cum in rebus graui, magnoque aliquo periculo, diuinam opem impensius exoraret. Statim vt Prouincialatu abiit, à successore impetrauit, multos vt dies in ministerio culinæ versaretur, quod fecit assumpta ad id consueta tunica, ac sæpe linteo etiam præcinctus, excipiens, qui ad se adirent nobilitum. Nec dedignabatur, vel ligna securi scindere, & imposita in humeros in culinam deferre. Supremis etiam annis in S. Rocchi domo, frequenter petebat, nec rarò impetrabat ianitoris officium. Neque minori voluntate excepit, si quæ vnquam iniungebantur, suas ob culpas poenæ. Aliquando Conimbricæ cum feruidius nescio quid mandanti Præsidi obtulisset, Euerardus Generalis per literas leniter monuit, eam rem boni exempli non fuisse. Itaque ipse sibi eligeret satisfactionis genus tollendæ offensionis idoneum. Qua Leo conditione liberaliter vtens, delegit aliquot mensium in tunica ferruginea, culinæ ministeria, atque ita peregit, tanquam nihil præterea curarum haberet; volens à coquo grauissima quæque iniungi sibi, cum diceret iumento veteri, non adeo circumspectandum, quæ sarcina imponeretur, quod in eo parua fiat iactura: at parcendum teneritati, speique pullorum; quo significabat mitiùs tyrones, iunioresque tractandos. Proprie tamen destinatum illi opus erat culinam quædam deinde efferebat sordes, tanta ambitione, vt nunquam vellet, eum sibi honorem præreptum. Quæ sancta eius in hoc genere ambitio, coniectari inde potest. Cum animaduertisset contiguam culinæ cortem fimo oppletam, properè coquum adiuuit rogans, vt vellet à se se purgari, cumque ille respondisset, serum eum fuisse, opere iam alteri destinato, tamen ipsius fores, si postero die præueniret, bonus senex magno studio accelerauit precationis, sacri, ac psalmodiæ tempora, eam vt benedictionem ad se se transferret: nec ægrius tulit, vbi anteuenisse Nouitiorum vnum reperit, quam si magno præmio excidisset; ipsi tyroni professus, nunquam se cuiquam sic inuidisse. Porro charitate erga proximos quanta arderet, tametsi ex cæterarum perfectione virtutum argumentari fas est, tamen propria quædam documenta tradenda sunt. Cum audisset ad singulare certamen se inuicem duos prouocasse, nec posse ab incepto auerti, in destinatum certamini locum meditatus, paratusque perrexit; iamque gladij micabant, cum progressus in medium deiecto ex humeris pallio, exeditoque flagello, sequi acriter in sua terga cœpit. Noua res stuporem induxit digladiantium animis, ferrum excussit è manibus, adeoque fera corda mansuetecit, vt datis dexteris pacati domum reuerterentur. Ehora Olyssipponem, propter cæli salubritatem è fratribus vnum cum ægrotum deduceret, sub medium iter, in vilem casam per inopiam melioris hospitij coactus nocte diuertere, vbi nec stratum, nec quicquam habendo ægro idoneum erat, nunquam quieuit, quoad aliquid lecti, vnde vnde concinnauit; & vigil affidens, cum videret somnum capere ægrotum non posse ob gelidos pedes, ingenioso pietatis inuento, nudato pectore suo immisit eos, fouereque cordis sui calore non destitit. Et planè spectabilis erat, aduersus omnes ægrotos materna eius pietas, ac sedulitas. Vbi tamen periculum ingrueret, nequam dissimulari volebat, indignam, vt est, dicens in cœtibus religiosi eam imbecillitatem, per quam seculares, ne suos perturbent, de mortis periculo cælant, præpostera miseratione, sinentes in salutis mortalis discrimine, pariter de æterna periclitari. Consimilis erga hospites eminebat Leonis charitas, obuiam festinus, quicquid haberet in manibus intermisso, ad ianuam accurrebat, amantissimè complectens, deducens, curans, sæpe ipsemè abluens eis pedes. Si quid deinde in calceatu, vestitque opus haberent, paterna benignitate prospiciens. Quibus ex rebus charitas in-

217  
Caritas eius  
in proximos

218  
Mira ratio  
conciliandi  
pugnantes.

adiuandis animis æstimetur. Nullos in his labores, nulla fugiebat tædia. Magni semper fecit, seduloque tractauit audiendarum confessionum ministerium. Verum quinque annos vitæ supremos, ab omni alia liber, totus in eam curam incubuit. Primus adire confessariam sellam, postremus deserere. Cum primum aperiretur templum, ordinarijs Sacerdotum muneribus maturè perfunctus, ne quâ causâ opus interrompere cogeretur; assiduitate materiam augens laboris, cum tanquam ad certum perfugium multati confluerent, præcipuâ autem curâ tenuiores excolens, quod nobilioribus diceret, nunquam deesse cultores. Nihil ferebat acerbius, quam quæmpiam quantævis nobilitatis, tempus sibi audiendi confessiones, salutationibus, & colloquijs inutilibus rapere, monito ædituo, vt si quando suppereret in templo materia laboris, & ipse ad ianuam à quopiam detineretur magnatum, nequaquam parceret, verum liberè accerseret, nuncios adesse, qui vellent confiteri. Cum singulari studio, vtpote quorum maior calamitas erat, alienigenas, maximeque captiuos adiuuaret. Eam ob rem senex linguæ Gallicæ, quam Lutetia puer hauserat, memoriam renouans, ex ea charitate causam mortis inuenit. Admonitus enim gallum hominem in custodia pestifera febri correptum, confestim accurrens, solatus hominem, humanisque, ac diuinis præsijs communitum relinquens, domum, retulit idem ex contactu malum: vnde latus, egregièque paratus, cum iam pridem in sola morte cogitationem fixam haberet, biduo consumptus est. Exequias eius multa populi, ac fermè tenuioris cohonestauere lachrymæ. Eidem Quæstiores, quod ipsorum è consilio fuerat, splendide parentarunt. Multa præter narrata de eo mira Lusitana refert Historia. Olyssipone Eboram contendens, repente ad Socium conuersus: iam, inquit, Antonius Correa in Collegio Eboresi expirauit; & planè ita euenisse compertum est. Cuidam Sacerdoti de Societate rarè Sacrificanti, forte tempus prædixit, quo aueret, nec posset: qui tandem dimissus, ad summamque inopiam reductus, vehementer cupiebat Sacrum facere, vt aliquid inde stipis referret, neque per Sacros Canones, ob mutilatum pedem licebat. Anno 1580. per tumultuum Lusitanorum initia, Conimbriæ cum ad propitiandum numen, quadragenarum horarum supplicatio in priuato institueretur sacello, audire sibi visus est claram, ac terribilem, vocem, è sacra pyxide prodeuntem, finite, finite, certum est, vindicare: quam ad vocem attonitus Leo, qui solus audiebat, summis precibus ab Domino contendere institit, vt misereri vellet; & nihil audiebat, nisi mitte me, volo punire. Ita mœroris plenus, plerumque noctis in lacrymis, ac gemitu exegit. Diluculo ad diuinam festine, reuertit hostiam, dumque magna humilitate, ac pietate leuamentum aliquod deposcit, cœpit Dominus singillatim in memoriam reuocare supplicia insignia, & diluuij, & vrbium infamium, & Ægyptiorum, & alia id genus, in quibus de improbis vltus, iustos, quamuis pauci numero essent, seruaui. Eodem se in præfens scuiturum modo denuncians. Hanc rem, Ignatius Martinius, cuius virtutem hoc dignam arcano Leo existimarat, eius post obitum enarrauit. Olim ex Oppido Almerini, cum Prouincialis Olyssipponem Georgium Serranum, & Emmanuelem Sequeiram, (qui ambo deinde Prouinciales fuere) per Tagum mitteret, quamuis oboriretur tempestas, ire securos iussit, & opportuna præmonitio cecidit. Adeo scui, dirique exitere fluctus, vt ipsorum ante oculos simul euntium nauigium, mergeretur. Quo Sequeira territus, Serranum, qui autoritate erat notior, vehementer admonere, vt nauigium ad terram applicari iuberet. At Serranus, nulla (inquit) causa timoris subest: Leo iussit, quo esset maior tempestas, ire secutores: & hæc cum diceret extemplo rudentibus fractis, velum decidit: eoque lapsò periculum omne depulsum. Iam moribundus fratris, qui præcipua cura in morbo sibi adfuerat, denunciauit, com-

219  
Laboriosa  
sedultas  
eiusdem.

220  
Causam  
mortis ex ca  
ritate repe  
rit.  
Eius exe  
quia.

221  
Quædam di  
uinitus co  
gnoscit, &  
prænuunciat.

para-

222  
Somnium.  
Henrichi mi-  
rum.

pararet se se ad magnam, quæ imminere tentationem, sed cum diuina ope, certus de victoria esset. Neque ita multo post, adeo grauius cepit exagitari frater, vt hæsitans nutantque, parum ab ruina, ac defectione abesset. Sed mirè iuuat spes à Leone promissa victoria, & quod vero simile est auxilium è Cœlo allatum. Dormienti aliquando in sella ducum Rector agebat Eboræ, visus est quidam adesse, & prehensio brachio excitare, admonens, vt ad certum, quem nominabat è Collegio pergeret, ex eoque cognosceret de Sacerdote eiusdem Collegij, quem item appellabat. Cumque excitatus pro somnio nihili rem fecisset, rursus obdormiscens eadem species, cum acriori monitu offertur. Sed cum ne tum quidem habendam somnio fidem existimaret, ecce tertio redit sopor, & visum, dura cum increpatione, quod non accurreret ad succurrendum ouicula, quam tartareus ei lupus rapiebat. Iret, labanti succurreret, puniret qui periculum norat, nec indicabat. Tum demùm intelligens haud esse somni ludibrium, rectè ad demonstratum fratrem pergit, ex eoque cognoscit Sacerdotem illum defectionem à religione moliri, statimque opportunis remedijs firmat labantem, haud impunito illo, qui per falsum amicitie nomen morbum occultans, perire amicum sinebat. Eboræ item aliquando, vbi manè ab oratione surrexit Marcum Georgium admonuit, vt pararet se eo die, si opus foret, ad scholam quæstionum conscientia suo loco habendam. Tum reuersus indè, sacrificatum abijt. Missa peracta admonet Georgium, vt habeat scholam, egressusque Collegio, certam in domum proficiscitur, vbi inter magnas angustias grauius ægotantem hominem reperit. Post longum congressum, secedente Leone, comitem eius ager aduocat, & admirandus, quis esset Pater ille, quid muneris administraret, interrogat: omnino enim sibi compertum, magnum esse Dei famulum, cui sua peccata fuerint diuinitus reuelata, præ quorum pudore ad penitentiam legitimam adduci non posset. Antonius Carmallius Theologiæ professor, narrauit sibi adolescenti, dum Leoni de peccatis confiteretur, subitum cordis dolorem coortum, adeo vt penè exanimaretur, cum autem locum ostendisset Leoni, statim vt illum tetigit, dolorem omnem euauuisse. Alia alij non solum in corporis, sed etiam in animi morbis, statim vt se illi commendarunt, præsentanea sensere remedia. Valebat & aduersus Dæmones, & è corporibus obsessorum multos expulit: sagaciter quoque multorum fraudes energumenos se simulantium, inedia, & virgis excussit. At bellæ illæ tartaræ suam in ipsum rabiem, tum maxime,

223  
Peccata occulta diuinitus agnoscit

cum magnum quid in animarum adiumenta moliebatur, colaphis, & verberibus, & aliter sæuendo promebant, ineptè scilicet ostendentes, cepta eò meliora, & vrgenda enixius, quò magis honorum omnium odoribus essent inuisa. Aliàs non permissi sæuire, inanibus terriculis creare molestiam conabantur. Matutinam psalmodiam cum Ludouico Cerqueta (qui dein Iaponiæ Episcopus fuit) aliquando cum recitaret, lucernam statim Diabolus arreptam circumferre per cubiculum cœpit, nulla apparente manu. Attollebat, demittebat, huc illuc raptim agebat, vt solet ex tremula aqua, radijs icæta solis volutus resillire fulgor: cum insuetus ad ea Ludouicus se se cubiculo pauescens eriperet, Leo, cui noua non erant, planè securus hæsit. Dum in Regia Almerini versaretur, quotidie solebat tractato Tago in Oppidum Santarenum ad Euangelizandum excurrere. Incidit causa cur aliquando præter morem ibidem etiam pernoctaret. Ecce autem,

225  
Constantis eiusdem fiducia.

cum primum cubitum abijt, sæpe appellare nomen IESV magno studio cœpit, tanquam commotior, vel timeret, vel iam perferret impetum aliquem vehementem hostis inferni. Exiliit è lecto, & per conclave inambulans, signum Crucis sibi sæpe figurabat. Aderat in eodem cubiculo comes eius Iohannes Aluarius, is qui dein fuit Assistens, qui (nam & lucerna vigil asseruabatur) ea tanquam noua haud sine metu spectabat, ex-

exitum rei opperens ; cum repente turbo adeò validus in fenestram incubuit , vt quamvis optimè obseratam , ac veète munitam , repente terribili fragore patefecerit , veète in medium conclaue proiecto . Immotus adhæc , Leo , Crucis tantum signo repetito , inuocatoque IESV nomine , pauentem comitem nil formidare iubet , quod nihil esset timendum , obserataque fenestra cubitum redijt , ac tanta statim securitate somnum admisit , vt admodum sonorè stertere eum comes audiret .

Dudum intermissas Angra : & Angolæ res , quasi ex itinere relegemus , antequam in Sinas , & Iaponiam transmittimus ; nam India , quod nihil ferme non simile nuper inde recitatis in hunc annum suggerit ; conticescere tantisper mauult , quam aut paruis dictu , aut facile intelligendis ex memoriâ proximè relatorum , otiosè detinere lectorem . Angra anno superiore instituta in Collegio nostro Sodalitas Beatæ Deiparæ , hoc anno perlato Româ diplomate rite confirmata , & Indulgentijs Pontificijs ditata est . Commune id Collegio Angrensi cum multis alijs , immò cum omnibus vbique terrarum nostræ ferè Societatis Domicilijs fuit : nec velut eximium hoc loco commemorandum putarem , nisi , vt semina eadem in diuersis terris magnâ differentiâ fructificant , cum alibi , vt est in Euangelio , trigessimâ , alibi sexagesimâ , denique in felicioribus aruis centesimâ multiplicatione fruges reddant ; ita scirem , cum alijs in Urbibus Sodalitia B. Mariæ ad salutem , & consolationem animarum profecerint plurimum ; Angra successûs incredibiles , & fructus longè supra , quam expectari verisimiliter poterat insignes , atque illustres habuisse . Principio , quod iuuentuti scholas nostras frequentanti subsidium parabatur , id primâ consilij propositione probatum Ciuitas vniuersâ commune omnibus ordinibus esse , voluit . Quare ante omnes ipse Episcopus cum suo Vicario , compluribusque Canonicis , Ciues item primarij nomen in Sodalitatem dedere . Est præterea præcipua in eâ vrbe , & totâ Regione dignitatis Præsidijs Præfectus , quasi Proregis in remotis illis Insulis autoritatem obtinens ; is non modo se ipsum , sed Tribunos , Centuriones , & lectissimos quosque suorum militum in eandem Societatem admitti postulauit , vtilitate maximâ cohortis vniuersæ , & totius Ciuitatis exemplo salubriori , quam assequi narrando quisquam possit . Siquidem cum humanæ consuetudinis testatissima omnibus locis , & temporibus experientiâ compertum sit , parum benè conuenire Christianæ Disciplinæ , & absolute numeris officijsque omnibus Religionis , cum militari licentiâ , præsertim vbi otium , & copia commodorum , accesserit , tamen Præsidiorum huius Insulæ , licet numero permagno in summâ securitate parique abundantia viuerent , ex quo piam Dei Matri in eius Sodalitio seruitutem sunt professi , tam mirabilis innocentia , tamque amabilis omnium virtutum cultus emicuit , vt verè dici posset legionarios sub signis , atque in Castris , vix temperantia , castimonia , pietate , caritateque in Deum Cœnobitis Disciplinam claustrorum longo iam vsu tolerantibus concessisse . Purgabant confessione , reficiebantque sacrâ mensâ frequentè animos , & ad hæc sancta mysteria , ieiunijs , cilicijs , verberationibus vltro susceptis , etiam publicè , se se comparabant . Passim videres in stationibus , pro taxillis , & folijs lusorijs pro se quemque globulos precarios terentes digitis , aut libros pios lectitantes . Sermones non dicam , non obscœni , non maledici , sed probi omnes , ac sancti . Si quis , quid deliquisset deferebatur ad Sodalitij moderatores , & eius arbitrio , aut crimen expiabat publicâ pœnâ , aut albo Sodalium expunctus , res suas sibi habere iubebatur ; quod instar ingentis infortunij ducebant . Facile arbitrato est haudquaquam ad tantam virtutis absolutionem , milites sine Ducis peculiari curâ , efficacique exemplo expoliri potuisse . Ille autem tantò vulgarem modum , ac captum hominum illius ordinis in Religionis officijs , & Diuinæ legis obseruatione superabat , vt sagatus Sacerdos aut Chlamydatus Monachus videri potuerit . Edixerat propositâ pœnâ carceris ,

226

Angra Sodalitas B. Mariæ maxime salutaris .

227

Omnes Ciuitatis ordines ei adscripti .

228

Militum pietas .

229

Ducis Præsidiorum Angrensiū Religio .

230  
Seueritas.

231  
Et liberalitas.

232  
Confirmatio  
Sodalitij ma-  
gno gaudio,  
& omnium  
ordinum stu-  
dio excepta.

233  
Angolanorū  
perfidia infe-  
lix.

234  
Aluarus no-  
uus Rex Cō-  
gi propagan-  
dæ Religioni  
studet.

ris, vt turpitudine, contumeliâque verborum sui omnes abstinerent. Preceptum vt supplicio sanciret, quando diurnas stationes, vigilante nocturnas obibat explorabundus more Castrensi, aliquot paria ferarum, compedum præ se gestari à famulis curabat, quas repente indueret in cuiusmodi culpâ deprehensis. Multâ conquisitione compererat à quodam milite, non tamen ex ijs qui Sodalitio nomen dederant; clam alij scortum; latinaue soluente in continentem iussit; ac cum illa iter deprecaretur inopie obtentu, largum illi viaticum de suo numerauit, quouis pecuniæ damno bene redemptam ratus amolitionem occasionis peccandi, ab ijs qui ipsius essent cura commendati. Præterea idem conuocari certâ horâ quotidie rudem, & otiosam è foro plebem in aedes suas iubebat, eique Christianæ Doctrinæ prima elementa inculcabat ipse per se se, additis horamentis ad honesta omnia sectanda, prauaque fugienda. Cum Sodalitij Angrensis in militibus hi extarent fructus, quibus prudens per se intelliget, quantum vtilitatis inde elicerent Sacerdotes, instituto, & professione propria Religioni dediti, Patres familias, & primarij ciues grauitate morum, & ciuili disciplinâ ad omnem honestatem inclinatiores, denique Adolescentes discendi causa ventitantes ad nos, quos docilitas tenerior ætatis, & primæua innocentia capaciores Cœlestium sensuum reddebat. Hos enim simul cunctos ordines vnica tum Sodalitas amplectebatur, more nondum indulto, qui deinde salubriter inualuit, discernendi genera, & multiplicandi eodem in loco cœtus istos, pro varietate graduum ætatumue, vt congrua cuique institutio adhibeatur. Hoc loco res erant Sodalitatis Angrensis, quando est, vti dixi, eius Româ confirmatio perlata. Placuit eam excipi publicâ celebritate, nulliusque Ordinum, qui Sodalitium constabant desiderari suum studium in eâ solemnitate sustinuit. Electâ die Clerus Templi maioris cum Episcopo tempestiuè in Sacram adem Collegij venit, ibique Pontificali ritu celebrauit sacrum. Inde supplicatio processit. Præibant Adolescentes è scholis, sequebantur milites, Ciues, Duces, Magistratus, Clericorum, & Sacerdotum linteata series, Dei Matris laudes sacris omnes canticis modulantes. Caput pompæ Theſa erat auro, serico, vittis, floribus, omnis generis ornamentis speciosissimè decorata, in qua effigies Deiparæ explicatum diploma præferentis manu Sodalium humeris altè sublata portabatur. Humus conſtrata folijs, vestibula, & fenestræ Domuum velis splendidis aulæque renidebant. In compitis extructa pægmata Choros Musicorum, & scenas adolescentum, piæ è sacris monumentis historias arte Dramaticâ exprimentium habebant. Quid multa? summâ Urbis gratulatione, ac gaudio gesta res, longam sui memoriam cum grato, pioque erga Deiparam affectu, in Ciuium, & aduenarum, qui viderunt animis reliquit. In Regno Angolæ irritati potius, quam domiti victorijs Lusitanorum Æthiopes Idololatræ, abundante semper ad peccata infringenda perfidiâ, ad reficiendos exercitus multitudinem, noua quotidie machinabantur, semper infelici successu, iterum, & tertio ab vltimè narrata pugna, qua tot eorum myriades casæ sunt, redintegratum bellum iteratis nec multò minoribus attriti cladibus, necessario curatâ pace finierant. Hoc denuò anno agitantes consilia rebellandi deprehensi Sobæ ab quot capite periurium luerunt, supplicio duobus ipsorum salutari, qui nati per baptismum in carcere temporariam mortem spe vitæ æternæ, cuius pignus acceperant, consolati sunt. Confirmabat interim opes in dies suas ad spem regni Fratres ipſius Ethnico, Patris, item Aluari dicti, & partem Christiani hæreditatem ab eo interuertere conata erat; frustra: Deo electi à se Regis innocentiam tuente. Is gratus Diuinis beneficijs, enixè propagationi Euangelij fauebat. est Loanda Insula ditionis eius ad nonum gradum cum

Soc. 50. A

cum dimidio latitudinis Australis non longè à continenti Regni Congi, obiecta ostijs magnorum annuum duorum Bengi, & Coanzæ, quorum hic Angola Regnum à Congo differtinat; non magna illa quidem, sed frugum locuples, & pecoris, Cœlique temperie salubri, ac celebris piscatu Conchyliorum, quibus Congenses vice pecuniæ vtuntur. Septem in ea oppida (Incolæ patriâ voce libatas vocant.) Horum duobus primarijs, alteri à Sancto Spiritu, alteri à Sancto Paulo Lusitani nomina dederunt. Prior quasi Metropolis, Congensis Prætoris Sedes, Posterior Vrbs Lusitanorum colonia est, vbi iam ab annis decem statio nostrorum erat. Hi excolendis Lusitanis, Æthiopicis ad Christi iugum attrahendis, strenuam hastenus, & modò successu fortunatam operam dederant. Nam vix vllæ totâ Insulâ reliquæ Idololatriæ visabantur. Optimoque in cursu cum hîc tum in Continenti vtroque Angolæ, & Congi Christiana res erat.

Efferebant se apud Sinas spe, ac specie præclarâ iaci ceptæ à septem retrò annis sementis Euangelicæ pubescentes fruges, ac tantum non maturæ primitiæ; cum eas hoc anno inopinatus ingruens inuidæ malignitatis quasi turbo quidam percussit, extincturus si minus viuacis indolis forent. Matthæus Riccius, & Antonius Almeida, operarij excellentis industriæ, in Statione Sciauquinensi Ecclesiam Sinensem nouam, quasi Christi vineam nouellam totis excolere viribus pergebant. Aptum erant locum nacti. Aedes sacra perelegans, cum adiuncto Domicilio ad amnis nauigabilis crepidinè, sub ipsam frequentissimâ Ciuitatis portam, situ amoenissimo, procul euocabat curiosissimam, & otiosissimam gentem. Nec minus vbi accesserant mundities, & nitor, peregrinæque gratiæ specimina Europææ artis in descriptionibus Geographicis, in pictis elegantia nostratè tabulis, in libris artificio calchographico luculenter exaratis, aureos titulos in mundissimo corio exterius monstrantibus; denique in machinis horarijs, alijsque ingeniorum veteris Mundi nouis isthic inuentis miris que spectaculis detinebant. Prorex, eiusque numerosissimus comitatus, Inferiores Magistratus cum suâ quisque cohorte, Literatorum erudita natio, ciuesque politiores quotidiano concursu, non ædem magis sacram, quam Bibliothecam, quam Mathematicam porticum, quam omnes concinnitate peregrinâ residentes exhedras obibant admiratione inhianti. Plena semper Platea obiecta ædibus vestibulumque Domus lecticis honestiorum Ciuium, flumen vicinum lembis Magistratum, aut cimbis aduenarum, qui ex Vrbe ante secundo, visendi res insolitas cupiditate, confluebant. Omnes excipiebat Matthæus Riccius lingue iam peritus Sinicæ, & audissimis Mathematicæ scientiæ, de Cœli Conuersionibus, de motibus astrorum, de ratione temporum, de dimensionibus Terrarum, & marium, ea differebat, quæ facillè, vel inuitis assensum extorquerent, & fateri cogerent; inchoatas dumtaxat, & rudes apud ipsos istas esse disciplinas, quarum perfecti iam Magistri primùm audirentur. Hinc existimatio, laudatioque gliscebant Eruditionis Europææ: Indidem sacris quoque dogmatibus accedebat autoritas: facillè opinantibus, qui nostrorum acumen in rebus aciem mentis intelligibilibus probabant, haudquaquam eos in Diuinis aberrare. Adiuuabat editus non ineleganter, vt ante diximus, Sinensibus typis, latèque disseminatus Catechismi liber; quem qui cognouerant Mandarinum Magistri Gentis contra disputatum accedebant, committebatur certamen ambiciosè, nec tamen inciuiliter, in splendido confesso, Nostrisque disertè, ac feliciter, Deo, & causâ iuuante, argumenta obiecta soluentibus, ferè semper à plerisque applaudebatur. Statis horis quotidianæ Catechismi lectiones ad concionem ingentem in templo habebantur. Multi Catechumeni fiebant: ij cum matuum erat solemnè ritu sacro fonte tingebantur. Euolabat fama longè vltra fines Prouinciæ Cantonix; multis aliarum qua-

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. I.

O o o

tuor-

135  
Loanda In-  
sula tota  
Christo suo-  
iuncta.

136  
Curtus rei  
Christianæ  
interpeatus  
apud Sinas.

137  
Domus So-  
cietatis Sciau-  
quini posita  
Sinenses alli-  
ci, & concil-  
liat Euange-  
lio.

138  
Catechis-  
mi lingua Si-  
nica editi  
fructus.

tuordécim aduenis, Sciaquinum publicarum, priuararumque rerum gratia, ventitantibus, & quæ viderant, audierantue Sinis inuicta, libenter alibi memorantibus. Nostrorum quoque alter subinde commoditate porro amnis obuiam suggerentis copiam nauium quocumque opus esset eunum, aut ad Metropolim Cantonæ Ciuitatem Quamcheu stans nundinis, & perruississimo mercatu celebrem, aut trans annem in oppida per agrum spatia Euangelizatum excurrerebat. Eâ felicitate res fluebant cum Prorex noster amicus in suo Sciaquinensi Prætorio diem obiit, nominatusque illi successor à Rege est is, qui tum vicinæ Prouinciæ Quam-si vice Regis præerat, Domo Nanquiniensis, nomine Leu, homo, & avaritiâ. Is ominosum docens in ædibus decessoris sui morte funestis habitare, iussit eas funditus destrui, in eaque superficie, nouâ descriptione alias à fundamentis ad fastigium attolli, quod dum impigrè magnis ex ærario publico impensis curatur, ipse in Vrbe Cantonæ limitibus conterminâ operiens finem operis excipiebat officia Cantonensium ex cunctis Urbibus certatim noui, ut sit, Receptoris, gratiam captantium. Inter hos multi erant Sciaquino profecti, quippe Vrbe Magistratibus, Literatis, & Nobilibus plenissimâ, quorum alicuius maleuoli sermonibus incitatum aduersus Sciaquinensem Dommum nostrum noui Proregis animum postea patuit. Facile suspicio cadebat in quemdam Thanfarihiu, Ciuium Præfectum, hominem astutum, qui quæ, ut multa indicia se dabant, magis ad speciem, quam mente sincerâ, cum nostris amicitiam coleret. Hunc serunt commemorasse nouo Proregi, quasi ad commendationem Sciaquinensis Ciuitatis, esse illam solere suis Rectoribus exquisitè gratam, quippe, quæ presentibus obsequijs, quæ promptissimè, ac cumulatissimè exhiberet, haud contenta, etiam perennibus excitationis monumentis famam eorum, ac memoriam apud se consecrare immortalitati solita esset. Sub hæc retulit dudum extare molem speciosam publico sumptu affectuque Ciuium olim extructam honori certi, quem nominabat, Proregis: quin etiam nuper inferiori Magistratui, Præfecto Urbis, turrim magnificentiâ excitatam. Esse his monumentis accommodatissimum locum, campum suburbanum prætentum amne, conspicuum, & concursu celebratum: cuius modo partem optimam peregrini ex Amacæo Sacerdotes, officio spectabili occupatam tenerent. Hæc cum Thanfarihius maligno officio diceret, facile assecutus est, quod optabat: cum enim homini gloriæ auido saluam mouisset honoris ampli non vni iam à Sciaquinensibus concessi, non agrè ad eum, & sperandum, & desiderandum perpulit. Multa igitur per celcrem mentis agitationem momentò percurrens, primum satis sibi fuit, ut consideret hancquæquam sua merita Sciaquinensibus inferiora visum iri meritis eorum, quibus istos honores decernendos putauissent. Deinde pellendos loco peregrinos Sacerdotes censuit, quò eorum vacuo in solo suum monumentum ritè collocaretur. Postremò excogitandam rationem, quâ hoc, & iure videretur fieri, & quam minimum acerbatis in isto per se odioso negotio administrando adhiberetur. Ab his ita secum, sine vllâ tunc sui consilij significatione, constitutis, sumpto spatio ad deliberandum de modo conficiendæ rei, paucis post diebus diploma rite conscriptum ad Linsithaum (is est, ut dixi Magistratus Prorege inferior, Sciaquini, & ipse degens) ad Linsithaum, inquam, diploma mittit, quo cautus, comperisse se Sacerdotibus externis, contra leges Regni sedem stabilem in ipsâ Vrbe Proregiâ concessam, scire etiam istiusmodi Sacerdoticulos acutos alioqui, & factiosos homines, arcana explorata Sinenfium suis Amacænsibus prodere, non sine periculo quietis publicæ: præterea varijs artibus plebem ad se pellicere, ac coitiones facere, res omnes Reipublicæ suspectas: quin etiam spectacula ostentare peregrinarum machinarum; palamque proponere automata anea, quæ sponte concaui æris pul-

239  
Mors Cantoniensis Proregis.

240  
Successor eius aliud Prætorium à fundamentis extruere.

241  
Maleuoli apud eum sermones de Sciaquinea à Domo.

242  
Prorex nouus Sciaquino pellere nostros decernit.

243  
Diploma Proregis aduersus nostros.

Soes. A

su diei, ac noctis horas indicent. Ea sibi, & per se cogitanti, & è prudentium consilio haud tolerabilia videri, quippe antiquis Patriæ moribus dissentanea, noua, tumultum minantia, & Regi vbi cognouerit minime probanda. Quare se ipsi mandare, vt causâ, quam primùm cognita Europæos facescere Sciauquino iubeat; & aut Amacaum ad suos remittat, aut in Suburbanum Vrbi Xauceanæ Cœnobium, Nanhoam vocatum, edicto transferat. Tali Linsithaus accepto mandato, Vicario Præfecti Vrbs, subiecto sibi magistratui, negotium dat agendi cum hospitiibus Amacaensibus, vt sponte Proregi obtemperet, & Nanhoam ad tempus vltro secedant: sic eos honorificentius, & rebus ipsorum vtilius migrare posse, quam si pro Imperio cogantur. Neque enim spem superesse vllam hestendæ Proregis voluntatis. Si autem modo tempori cesserint, facile post defunctum, præfecturâ Proregem iniri rationem posse ipsorum reuocandorum. Ea cum, Vicarius apud Matthaum Riccius fusè, ac beneuolè disseruisset, non agrè persuasit homini iam non imperito Consuetudinum Sinicarum, esse id optimum consilium quod tali tempore capi posset. Nihil tamen ausus in tantâ decernere sine consensu nostrorum Amacaensium, spatio ad deliberandum imperato, certum hominem ad eos destinat cum literis, quibus diligenter exposito rerum statu, sententiam suam, & eius rationes proponerat. Inuenit hic Nuncius Alexandrum Valignanum Amacai cum legatis Iaponijs, vt dictum est anno superiori ex Indijs appulsum. Is consilio cum alijs Præpositis habito, respondit; non committendum videri, vt facile, ac sine certamine sedes tanto sumptu, ac labore Societati quæ sita eriperetur. Quare denunciatum iudicium subiret audacter, & ius suum, ac nostrum, constanter tueretur. In id incubuit strenuè Riccius Apologijs, & id genus actis conscribendis, testimonijsque, ac suffragationibus corrogandis; in quo magistratum, & literatorum Sciauquinenfium egregium fauorem est expertus: inutilem tamen ob Proregis in proposito perseverantiam; cuius per idem tempus alia specimina iniquitatis, & auaritiæ extiterunt, in vexandis negotiatoribus ex Vrbe Cantoniæ Metropoli, alijsque è populo, qui modo haberent quod cedere in prædam posset. Tamen Riccius ne nihil intentatum relinqueret, ad Proregem in eâ quam dixi conterminâ Ciuitate adhuc degentem, conferre se se parabat: quando rogatu Linsithai, viri, & potentis, & nostris amici, negare non potuit, quin Amacaum excurreret, certi negotij pertractandi causâ. Eâ occasione distinctius edoctus Visitator Valignanus, itemque alij Amacaenses Patres, quam agrè obtineri statio Sciauquinenfium posset inuito, & repugnante Præatore, tandem in antea reiectam Riccij sententiam, & ipsi concesserunt. Permiseruntque, vt si ei videretur, tempori cederet; sed illud commendarunt, vt aliam saltem intra Sinensis Regni fines sedem impetrare conaretur. Inter hæc perducto ad fastigium nouo Palatio Proregis, satisque instructo, atque ornato, is publicè à Sciauquinenfibus, vt eò se conferret inuitabatur, qui percontatus de Amacaensibus Sacerdotibus, cum audiret nondum eos emigrasse, professionem differebat suam, mandata, quæ de illis dudum dederat subinde iterans; sine vllâ tamen iræ significatione; nimirum, vt autoritatem tueretur perturbationem celans. Amabant, & plurimi faciebant nostros multi ex Sciauquinenfibus Magistratibus. Eo fiebat, vt cum ijs, necessitate obsequendi Proregi eius voluntatem declararent, id non solum sine acerbitate facerent, sed simul beneuolè testarentur, cupere se se, ac quatenus possent, conatuos officijs assequi, vt Prorex de isto proposito dimoueretur. Horum igitur fauore moras trahentes nostri in aliquam melioris euentus spem, eò vsque perfliterunt, quoad iam inuectus solemnî pompâ Sciauquinum Prorex in Prætorij ædibus confedit. Ibi cum ex Vrbanis magistratibus quæreret, ecquid exteri migrassent, quod toties iussisset: audiuit ab ijs: multa hospites Amacaenses pro se allegare, quæ digna confide-

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. 1.

Ooo 2

fide-

244  
Suadetur Patri-  
tribus, vt ce-  
dant tempo-  
ri.245  
Eo Riccius  
inclinat.246  
Patres Ama-  
caenses id  
prohibent.247  
Riccius ijs  
obtemperat.248  
Proregis ini-  
quitas.249  
Riccius Ama-  
caum profici  
scitur.250  
Valignanus  
eo audito cõ-  
sentit migra-  
tioni è Sciau-  
quino.251  
Instat Prorex  
nostris, vt  
exeant.252  
Sciauquinen-  
fium beneuo-  
lencia in Pa-  
tres.253  
Proregis ad-  
uentus.254  
Rationes  
pro Patri-  
bus allega-  
ta.

sideratione viderentur. Hoc inter alia: se se permissu Proregis, & autoritate publicâ in solo legitimè quæsito ædificium struxisse, in quod aureos sexcentos expendissent, id quod certis tabulis, & testimonijs constaret. Iniquum videri eos inde pelli non resarcito eo damno, ac pari summâ numeratâ. Percussit ea mentio avarum Proregis animum; hinc quidem non audentem manifestam iniustitiam consciscere; aliunde vero certum, tantum argenti numerum non profunderi. Respondit igitur se repensurum Amacaënsibus Aduenis pecuniam, si non quantam peterent, certè quanta ipsius iure deberetur. Moxque ad Matthæum Riccium misit certum hominem, qui sexaginta ei aureos offerret. Riccius ingrediendi in causam prout initio iussus fuerat, et si fuerat postea remissum, oblatâ qualicumque specie hanc occasionem, & initium sumens, dixit, se nullâ pretij magnitudine adduci vnquam posse, ad sacram ædem, in quâ Dei sui Conditoris rerum omnium præsens numen habitaret, cuiquam vendendam; nedum, ut eripi eam sibi volenti pateretur cum pecuniâ permutatam decuplo minori eâ, quam expendisset in illâ construendâ. Renunciaret ergo Proregi melius cum exercituum iustitiam nullo suo sumptu, sinendo Aduenas supplices suos stare in possessione legitimè initâ sine cuiusquam noxa. Addidit hanc petitionem suam libello expositam se ad Tribunal Proregis ipsum delaturum. Nec secus quam dixerat fecit; aut potius facere tentauit. Iterum enim, & tertio repulsus à ianuâ est iussu Proregis, incredibiliter offensus, quod pecuniam à se missam recusasset. Itaque Riccio respondebatur, dicere Proregem, indignum esse ipsum suo conspectu, qui sua dona contempserit. Hæc videns, audiensque Riccius, intellexit, quam vanè speraretur Sciaquinensem conseruari Societati sedem posse, sed & illud vereri præterea cepit, ne à iam irato Prorege, Sinarum quoque finibus excluderetur. Igitur, quod à Valignano habebat in mandatis, mutatâ ratione, per libellos, & amicorum interpositionem, vehementer insistit, ne finibus Imperij Sinici exterminarentur; sed Sciaquino exclusis concederetur ingressus in aliam quampiam Regni eius Urbem. Istud quidem vltro Prorex obtulerat initio: Verum iam irritatus recusatione pecuniæ oblata, eò constantius negabat, quò magis ex libellis intelligebat, quam id vehementer desiderarent illi, quibus ægrè fieri iratus cupiebat. Dum hæc lentâ formularum, vel politicarum, vel forensium Sinis vsitatarum serie in longa tadia seignium tractationum extenduntur; nostris subinde per libellos sapius oblatos innocentiam contestantibus suam, & de iniuriâ exilij decreti expostulantibus, incidit aliquid vnde Proregi timendi occasio, nostris sperandi, offerretur. Solent Reges Sinarum certos à latere suo in Prouincijs homines mittere, Inspectorum, aut vt loqui recentius solémus, Visitatorum munere functuros. Horum plena potestas, summaque autoritas inquirendi, & explorandi est latè in omnes quantauis dignitatis Magistratûs: quâ sint abstinentiâ, quâ fide, quâ iustitiæ curâ, vt se domi gerant, vt in publico: quæ fama de illis, quis in eos affectus populorum. De his illi quæcumque renunciant, creduntur: & aut pro meritis euehuntur, qui laudati sunt; aut deprimuntur, puniunturque, quorum moribus, aut prudentiarum honorificum ab istis testimonium redditur. Inspexerat sub hoc forte tempus vnus ex his Prouinciam Cantoniam, & reuersurus ad Regem, quò explorata referret, per Urbem Sciaquinum necessarium iter habebat. Collegit, hoc comperto, se se Prorex, & quod celebratâ multorum sermonibus querelas de se Sacerdotum Amacaënsium sciebat, haud sine caustimuit, ne quid eâ de re in Visitatoris commentarios referretur, aut iam relatum esset, quod à Rege illi legi nequaquam sibi expediret: quare constituit dissimulandum in præsens, ac supersedendum in negotio, contraque præ se ferendam coram Visitatore in Amacaënses hospites beneuolentiam, vt si quid ille secus audisset, oculorum testimonio reselleret. Ergo iam

254  
Prorex in  
compensatio  
nem aureo-  
rum sexcen-  
torum offert  
sexaginta.

256  
Responsum  
liberum Ric-  
cii.

257  
Prorex ne-  
gat, quod ini-  
tio concesser-  
at.

258  
Metus obla-  
tus Proregi  
à Regni Vi-  
sitatore.

259  
Dissimulatio  
Proregis.

iam aliquot prius diebus, quam aduentaret Sciaquinum Visitator, visus Prorex mitescere, nostris amicis de re nostrâ benignius loqui, remittere quod ante ostenderat studium, prorsus sic agere, ut omisurus inceptum existimari à prudentibus possit. Nec deerant, qui putarent poenitere hominem suscepti certaminis, ac receptum eruptioni inconsultâ non inhonestum isto silentio, ac nouâ placabilitate captare. Venit inter hæc Sciaquinum Visitator, & à Prorege delinire Censorem, à quo notam metuebat, studente, exquisitis omnis generis honoribus afficitur. Dixerat Visitator discessit diem, Prorex cum vniuersis Magistratibus, Literatis, Primariisque Ciuibus, necnon cunctis festo ornatu cohortibus Pratorianis processit ad deducendum hospitem. Stabat ingens parata multitudo Myoparonum, Lintrium, Phaselorum egregiè pictorum ad crepidinem amnis. In hanc classem multitudo ea omnis inscendit, simulque varij more gentis Musicorum Chori, partim voce, partim instrumentis canentium. Soluerant omnes, & remis euecti aduerso amne ad multa stadia progressuri dicebantur. Effuderat se studio Ciuitas, & præclara species tenebat oculos, è fenestris imminentium flumini domorum, aut è littore spectantium. Nostram quoque Domum amici eâ causâ compleuerant. Idemque mox non sine admiratione notarunt, & animaduerrere nostros iusserunt, desistere nauas de cursu, & proras repente ad nos vertisse. Nempè intentus ei, quod retulimus artificio Prorex, quo magis ex animo Visitatoris abstergeret suspicionem omnem illius suæ in hospites Amacaenses iniuriæ, quem deducebat inter officiosissimos sermones, interrogauit: Ecquid de Aduenis audisset miri hominibus ingenij, qui sedem dudum Sciaquini fixissent? En, inquit, vides tectum illud elegantiam peregrinâ conspicuum, illic degunt. Nec longè, ut vides abest locus. Equidem censeo, nisi tibi aliud videtur, rectè nos facturos si accesserimus, erit pretium deflexionis modicæ, Europææ elegantiam specimina vidisse. Non abnuente Visitatore, iussi nauas flexis gubernaculis cursum institutum mutant, & secundo amne velis nihilominus, ac remis fluminis impetum iuuantes, summâ celeritate nostræ ripæ classem admouent. Exscendunt Prorex, Visitator, Procures Literatorum, Primi Magistratus, & nostræ domus residententes, ac blandi ostium subeunt. Excipiunt lati inexpectatum officium, Riccius, & Almeida; magnosque hospites, quibus possant obsequijs honorant. Illi cuncta cupidè visere, prolixè laudare, admirari mappas geographicas, Astrolabia, sphaeras, ante omnia horarias machinas, & libros Europæis cusos typis, ornatis inuolucris, & aureis exterius titulis decoros. Inter omnes affectatâ comitate Prorex verbis officiosis, multum familiaritatis, plurimum beneuolentiæ monstrare. In quo egregiè cunctis imposuit. Cum enim non solum, quod cupiebat, Visitator eam inde secum opinionem abstulisset, ut humanissimè affectum erga Europæos aduenas Proregem crederet, sed etiam ex præsentium relatu in omnes Sciaquinenses fama manasset de gratiâ Ricciij, & Sociorum apud Proregem nouâ, & Christiani, & ceteri amici omnes certatim accurrerunt gratulatum Patribus, tam felici, ut aiebant, exitu graui periculo defunctis. Verum simul aliquot itinere dierum processisse Visitatorem intellexit Prorex, ratus iam tutò perpetrari destinata posse, sententiam rite perscribit reditum Amacuum indicentem Socijs, camque ad Vicarium Præfecti Urbis mittit, cum mandato exequendi. Ille, & nostris amicus, & percussus inopinato casu, quod ex eâ, quam præsens viderat comitate Proregis in Patres, reconciliatum eum ipsis, item, ut alij, crediderat; hæsit incertus animi, & mouere quidquam distulit. Sed cum, cogere ratione sui muneris subinde alloqui Proregem, quando primum post hoc mandatum acceptum eum vidit Prorex, statim ante omnia quaesuit, num Amacaenses amandasset: atque illo fatente, quod res erat, non mediocriter iratus, cum minis mandatum iterauit. Quare cunctari iam

260

Et ex ea  
spes fallax  
nostrorum.

261

Visitator à  
Prorege in  
Domum no-  
strorum de-  
ducitur.

362

Comitas af-  
fectata Pro-  
regis in no-  
stros.

263

Inde spes  
fallax, & va-  
na gratula-  
tiones.

364

Sententia  
Proregis no-  
stros Amac-  
uum redire  
iubens.

265

In ea exe-  
quenda cun-  
ctatio Vica-  
rij à Prore-  
ge reprehen-  
sa.

266

Sententia  
Patribus si-  
gnificatur.

iam amplius Vicarius non valens, per duos viatores Patribus abitu indixit, triduum definiens, post quod si Sciauquini conspicerentur, capitale ipsis foret. Atroci, nec opinato nuntio percussis Patres ad Vicarium accurrunt. Ille mœstus pro amicitia, nihil spei, nihil remedij relictum dicere, excusare necessitatem ineluctabilem, suadere promptum obsequium. Denique ostendere tabulam decretoriae sententiae irrevocabiler ab ipso Prorege scriptam. Eius hæc erat summa. Etsi Mathæus Riccius, & eius Socij bono animo Sinarum fines intraverint, probèque, ac innocenter ibi vixerint: tamen quia nec ipsis expediret tandiù à Patria abesse, & in Verbe Proregià iuxta Sinarum instituta parum conveniret diu externos morari, velle, ac iubere se illos Amacuum, vnde venissent statim regredi. quod sumptum in ædificio factum causarentur, cum pars eius summa maxima ex collatitia multorum pecunià fuerit, gravari Regis ararium eà refundenda æquum non videri; se se tamen ad quadraginta quinque aureos, qui à Magistratibus viatici nomine dabuntur, quindecim de suo addere. Omnium amicorum trepidè in tali casu consultorum consentientibus cum Vicario iudicij, conuata supellex, & in nauem à Magistratu paratam imposita per publicos ministros est: quibusdam dumtaxat apud Christianos spe redius depositis. Paratis ad soluendum omnibus, procinctus ad iter Riccius Vicarium adit: Gratias agit: beneficiorum gratam memoriam spondet; fauorem, si qua se obtulerit occasio, implorat. Claves Templi, & Domus, cunctarumque singillatim Exhedrarum tradit, enixè rogans ne Templum Deo supremo consecratum, profanis vsibus contaminari patiatur. Instat rursus Vicarius, vt sexaginta aureos, quos ipsis Prorex decreuisset, accipiant. Riccius tamen in sententià persistit, multum Vicario mirante, qui, vt Proregi probare posset, quod suarum erat partium fecisse se, Syngrapham à Riccio exegit, quâ is testaretur: oblatos sibi à Vicario sexaginta aureos à se fuisse recusatos. Vicissim à Vicario impetrauit Pater scriptum authenticum, quo fides fieret Patres nullâ ipsorum culpâ Sciauquino expelli, vbi sine cuiusquam iniuriâ laudabiliter, & religiosè vixissent. Ad quod etiam sponte suâ aliud diploma Vicarius adiecit, quo seuerè cauebatur ne quicquam Patribus toto itinere iniuriæ quidpiam, aut incommodi offerret. Proregis quoque mandatum tradidit, Præfecto maris Cantonienis inscriptum, quo iubebat nauem Patribus assignari validam, & idoneo militum præsidio aduersus Piratarum pericula instructam, quâ tùm Amacuum perducerentur. Sic profecti Sciauquino Patres breui in Vrhem Quancheu Cantonie Prouinciæ Metropolim peruenerunt, vbi cum quaesuisent Præfectum maris, vt ei Proregis mandatum, cuius modo meminimus, redderent, cognito abesse illum, & biduò venturum, illum opperiri in ipsâ naue, qua Sciauquino venerant, anchoris iactis intra portum fixâ, constituunt. Dum ibi sunt, ecce à tergo celox citatis è Sciauquino remis ad procul cognitam, quæ Patres auexerat, Sciauquinensem nauem aduolat. Riccium requirit: ei nomine Proregis, vt statim rediret imperat. Admirans ille, causam cur reuocaretur rogat. Nuncius negauit se plus scire, quam quod dixerat. Non tamen destiterunt nostri bene augurando, casum in spei melioris auspiciam trahere. Sicque læti, quamquam haud sine admixtâ formidine, reuertebantur. Res porrò transacta sic erat. Reddens Vicarius Proregi rationem exhausti mandati, ostendit Riccij Chirographum, quo sexaginta aureos in iussu Proregis oblatos recusasse testabatur. Hoc viso commotus maiorem in modum Prorex, postquam modicum deliberasset, cogitabundo silentio: Fac, inquit, ad Vicarium conuersus, istos homines curriculò reuocatos mihi quamprimum sistas. Id quod simul est factum. Statim Prorex ad Riccium. Tunc sexaginta nummos à me datos reiecasti? Equidem, Domine, Riccius inquit, etsi pauper sum, & esse gloriæ, tamen cum tunc Dei beneficio, isto subsidio non egerem, il-

267

Patres ad discessum se accingunt.

268

Riccus sexaginta aureos oblatos recusat.

269

Et id ipsum scripto testatur.

270

Vicarij honorifica diplomata Patribus data.

271

Patres perueniunt in Vrhem Quancheu.

272

Inde reuocatur Sciauquino à Prorege.

273

Ob sexaginta aureos recusatos commotus.

Iud abdicauit. Atqui subiecit Prorex, inofficiosum fuit respuisse munus meum. Ad ea Riccius erecta fronte, ac voce libera. Cum tu nos, homines, ut tu te profiteris, innoxios e sede legitime parta, in qua tot annos sine cuiuspiam iniuria de omnibus benemerendo vixeramus, velut maleficos eiecisti, nullam tibi priuatum verecundiam obstricti sumus, qua de nostro non admittendorum munerum instituto amicitia tua respectu decedere nos debere iudicemus. Insuetus verum audiendi ad ea Prorex excauit, praecipitque exurgens impetu vociferatus minaciter est. Ita ne Proregi iubenti non obtemperatur? Tum ne inurbanè in hospitem sauiret, respiciens interpretem, qui adstabat, Tua furcifer, inquit, ista culpa est. Tu exterum hunc hominem mihi repugnare docuisti: hinc ad apparitores respiciens: huc ocyus afferte catenam ferream, qua isti scelerato (interpretem monstrabat) collum, ut est meritis ligetur. Interpres consternatus factum negare: cum fide se officio functum dicere: partem suam esse nullam in Riccij consilio, iurare. Tum Riccius, cui satis iam expedite finicè loquenti Interpretes dicis tantum, & moris vsurpandi gratia adiungebatur, intento in Proregem vultu, mea sponte, meoque iudicio, non huius, aut cuiusquam alterius suggestione munus tuum repuli. Sed per eam Te, quaecumque est, qua mihi gratificari dono isto voluisti virtutem obtestor, cur ius nostrum violas? honorem imminuis? rem iuste possessam extorques? quam saltem nos, si exorari non potes, ut Sciauquini esse patiaris, transferre sedem in aliquam aliam Imperij Sinici Urbem annuis? Ea Riccij verba, vel non statim intelligens, vel percipere Prorex dissimulans, ad militum Praefectum, qui ad eius Tribunal de more adstabat, conuersus, capis ne inquit, quid hic homo loquitur? Ille statim genu flexo, capere, ut si Sciauquino eiciatur, domicilium figere ne prohibeatur, in Vrbe quampiam alia nostri Imperij. Probare petitionem Prorex, & prece flecti vilis, benignis intuens oculis Riccium. En, ait, largior, quod cupis. Edem quem in locum transferre domicilium manus. Respondit Riccius libenter iturum in Urbem aliquam Prouinciarum Quamsi, vel Quiamsi. Atqui reposuit Prorex, cum ista Prouincia mei iuris non sint, id concedere meum non est. Elige igitur Urbem quampiam Prouincia Cantoniam, cui praesum, dum tamen excipias Metropolim Quameheu, & Sedem Proregiam Sciauquinum, quibus in Urbibus certas ob causas permittere habitationem fixam, exteris non possum. Tum Riccius Urbem Nanhium optauit. Et Prorex, annuo, inquit, peto tamen, ut prius visas Coenobium Nanhioam, & Urbem ei finitimam Xauceam: quae si minus tibi stationes placuerint, quam nominas Ciuitatem adire poteris. Hic Riccius fronte, Sinico more, ad solum vsque demissa gratias Proregi egit. Qui, & vultu, & verbis multam ei benevolentiam ostendit, adeo, ut falciculum librorum Sinicis typis editorum, quorum erat argumentum bellum ab ipso Prorege, dum aliam Prouinciam regeret, aduersus Piratas, aliosque rebelles feliciter gestum, nostris amoris causa donaret. Quin etiam cum forte praesens adesset quidam Magistratus Xauceanae Ciuitatis, in quam Patres inuitauerat, ad eum coram illis conuersus Prorex: Hos, ait, exteros viros excellentis meriti in Urbem vestram mitto. Fac eos mea causa, vbi istae venerint, omni benevolentia prosequaris, & si quidem ibi figere Domicilium velint, auxilio, & fauore quam maximo iues; quippe homines mihi carissimos. Adorauerunt sub hac Patres discessum Sciauquino suum, in Urbem Xauceam, ac Patres diplomatibus honorificis ornante: quin ante quam discederent sciens idem Vicarius adesse Sciauquini Praefectum Urbis Xauceanae nostros ad eum adduxit: maioremque in modum commendauit: quo audito Praefectus: Equidem, inquit, nostros intuens, haud sine Numinis prouidentia, vos

274  
Libera vox  
Riccij ad  
Proregem.

275  
Proregis in  
Riccium ira

276  
Interpres pe  
riclitans cau  
sa Riccij ab  
eo defenditur.

277  
Officium vti  
le Praefecti  
militum in  
nostros.

278  
Annuit Pro  
rex, ut Pa  
tres in alia  
Urbem Sini  
ci Regni mi  
grent.

279  
Prorex pla  
catus libros  
dat Riccio.

280  
Et nostros  
commendat  
Xauceanis  
Magistrati  
bus.

181  
Praefecti Xau  
ceani bene  
volentia in  
nostros.

vos in Urbem nostram destinatos arbitror. Hac enim ipsâ nocte videri mihi per somnium visus sum Deos quosdam peregrinos Xauceam venisse, facie longè diuersâ ab ijs, quorum imagines aris nostratibus insident: quare cum in crastinum discessum condixerim, inuito vos ad veniendum mecum: quod si quæ res vos moratur, præcurrrens hospitium parabo. Gratijs Patres cæcis excusarunt sibi, quo minus cum eo proficiscerentur, necessariam vrgentium negotiorum expeditionem obstare. cæterum breui secuturos. Visitarunt inde singillatim omnes Magistratus Sciauquineses, præcipuosque Literatos. Tum confirmatis denuò Christianis, præscriptoque ipsis ordine viuendi, ac proposito vno cæteris peritiore, qui paruulos baptizaret, cunctos ad preces, ac synaxes congregaret, de dubijs incidentibus ad Patres scriberet: denique orba illa Ecclesia, vt quam minimum Pastorum absentia detrimentum caperet, curaret; ad extremum decimo octauo Kalendas Septembris, die ipsâ anniuersariæ memoriæ Assumptæ in Cœlum Dei Matris sacrâ, Sciauquino soluerunt. Non ita multo post admouit se illis ex interuallo modico, & pari per octiduum cursu secuta est nauis egregiè armata, quam Piraticam putabant. Idcirco initio non sine sollicitudine fuerunt. Postea est cognitum, eam à Præfecto maris Cantonienâ, obsequente mandato Proregis, ad eos præsidio tegendos missam. Interim, vt est paulò ante dictum, præcesserat Xauceanus Præfectus, qui prinquam Sciauquino discederet edoctus à Prorege, cupere ipsum, vt Amacaënâs Sacerdotes vltro uellent in Nanhoæ Cœnobio Xauceanæ Ciuitati suburbano, sedem figere, simul Xauceam peruenit mandauit suo Vicario, vt per certum hominem ad fluminis ripam opperiri iussim, deducendos Nanhoam curaret Amacaënâs Sacerdotes, prius quam Urbem Xauceam ingrederentur. Sic enim sperabat fore, vt ij loci eius amœnitate capti, sponte, quod Prorex optabat, in ibi confidendi consilium incumberent. Octauo ergo iam die continuè Septemtrionem versus à Sciauquino nauigationis, cum ad eum locum processissent, vnde est breuissimus Nanhoam transitus, vocante Vicarij ministro, nostri ad litus accedunt, audiuntque quid Urbis Præfectus mandauerit. Certum erat Patribus in Vrbe potius, quam in locis inde remotis habitare. Memores tamen quantum esset nuper offensus Prorex reculatione oblata ab ipso pecuniæ, satius duxerunt hanc inuitationem non aspernari Cœnobij visendi. Instabat Vicarij famulus, vt sarcinas quoque exportari è nauì paterentur in Cœnobium, vbi ius ipsis plenum habitandi Prorex concederet, penes quem eius rei summa potestas esset. Negarunt Patres id agendi tempus aduenisse: sibi enim conuento prius opus esse Præfecto Urbis: sic relicto in naue ad ripam religatâ Sarcinarum custode, ad Cœnobium pergunt. Non longum processerant, cum superato tumulo obuiò in peramplam plantitiem despexerunt. Purior hîc aër campis, & pulcherrima species in aprico, irriguoque solo, arborum, graminumque perenne virentium: ne hyeme quidem decus foliorum syluis decutiente. Perpetui Colles, læti pascuis, & syluis pomiferarum arborum umbrosi, latissimè patens camporum æquor vndique ambiunt, oryzæ, frugumque aliarum prouentu vberimo beatum. Irrigatur enim ad eas segetes alendas opportunissimè perenni fluiolo, cuius & alij ad salubritatem, & amœnitatem loci præstantes vsus sunt. Ipsum Cœnobium mille incolarum capax, cum adiuncto fano magnifici operis instar quoddam iusti oppidi præclarâ procul specie ostentat, conspicuo præ cæteris ex colle; quem fons aquæ optima ad portum, eximiâ magnitudine copiosissimè innascens rigat. Eò nostris appropinquantibus monitus iam à Vicario Præfectus loci cum præcipuis suorum venerabundus processit obuiam, magistro non spontanei officij timore. Audierant nimirum à Præfecto Vrbi Xauceæ, Sciauquino redeunte, Proregem, cuius est legibus Sinensium in vniuersos suæ Prouinciæ Cœnobitas potestas omnium rerum summa, Matthæum Riccium, de cuius Doctrinâ, ac virtutibus

282  
Patres Sciauquino discedunt.

283  
Præfidiana nauis eos prosequitur.

284  
Nanhoam iussu Præfecti Urbis deducuntur.

285  
Amœnitas Cœnobij Nanhoæ.

286  
Cœnobiarum cū Sodalibus Patres venerantur.

bus eò quoque dudum fama peruaserat, Cœnobio Nanhoæ nouum Præfectum designasse, cum mandato, & plenâ autoritate emendandi cœnobitarum mores; qui sanè haud iam tolerabiliter ab antiquis institutis deflexerant. Nam præterquamquod cum vitam cœlibem profiterentur passim, seortis impliciti, spuria sobolis greges alebant; etiam pro mansuetudine, quam à curatoribus sacrorum iure suo populus expectaret, satis constabat quosdam ex ipsis ferro armatos obsidere vias publicas, & in prætereuntes rapinis, ac cædibus grassari. hac illi conscientia malè sibi metuentes, futuris, vt timebant, Dominis adulabantur, ignari, quam essent à præfectura tali vota eorum, & cogitationes abhorrentes. Monstranti deinde Præfecto partem ædium ornatam ad commorationem, Patres responderunt: se nanc quidem inspiciendi causa, non sedes figendi venisse: nec credere postea venturos: lati hoc audiuere Cœnobita, quamquam dissimularunt; eoque iam fauentiores, & solutiori animo introductis Patribus in Triclinium, quo excipi, cum eò veniunt, summi quique Magistratus solent, epulas imprimis apparatus præbuerunt. Refectos inuitabant ad visendum fanum, è Regni totius religiosissimis habitum. Vmbo quidam in æde mediâ surgebat, multis circum gradibus. Ara in summo, quinquaginta lampadibus appensis, cadauer exhibet cuiusdam Lusii diæti bitumine quodam pellucido illitum, ante annos, vt ferebant, octingentos ibidem mortui magnâ in opinione Sanctitatis. Vasta capacitas cæteri delubri multis circum sacellis oppletur, in quibus humana statura maiores extabant formæ, partim ex ære, aut simili metallo, partim è ligno deaurato. Eæ plures quingentis numerabantur. Has, & præ omnibus Lusii Cœnobij Conditoris corpus, cum omnes ingredientes fanum solerent diuinis afficere honoribus, nostri ne ciuili quidem obseruantia dignantes aspernabundi præteribant, Cœnobitis multum mirantibus; nec tamen in hominibus, quos eximie sapientes putarent, reprehendere palam ausis. Itum, & per Cœnobium, duodecim in ordines ac quasi contubernia descriptum. Cunctis satis visis Patres vale dicto Cœnobitis, & gratijs actis, diuersi discesserunt. Riccius cum Ministro Vicarij Vrbs, itinere terrestri multò breuiori Urbem Xauceam ingreditur, Almeida regressus ad Nauem eò posterius cum supellectili appulit. vbi simul fuerunt, ambo statim vrbs Vicario se sistunt. Narrant Cœnobium Nanhoam postquam satis spectassent ineptum ipsorum habitationi visum, tribus præsertim de causis. Primum, quod ab vrbe nimium distaret. Nostrum autem institutum posceret, versari nos cum populo, & præsertim cum Literatis quotidie congregari, tum ad audienda quæ ipsi docent patrijs percepta disciplinis, tum ad nostra vicissim comunicanda. deinde quòd vulgò ferretur, facinorosos quosdam, & quibus non bene vita credi posset, istos esse cœnobitas. Postremo immenso quodam interuallo dogmata nostra, & ritus à Cœnobitarum istorum religionibus ceremonijsque distare. neque enim nos idola, vt illi, aut mortuorum corpora pro dijs colere, sed vnum Deum Cæli, ac Terræ Conditorem ab ipso institutis, & antiquitus præscriptis sacris honoribus castè prosequi. Hac Vicarius beneuole audiens, priores quidem rationes duas facile percepit, & probauit, circa tertiam, in quo cunctaretur exposuit his verbis: quæ dogmata, quosve ritus, aut quibus præscriptos libris memoratis non intelligo, quippe qui existimem nullam aliam vspiam sub Cælo Religionem esse, quam quæ nostris moribus recepta est, & tradita literis, apud hanc nostram dumtaxat gentem vt olim inuentis, ita nunc vstitatis. Hunc homini minimè malo ridiculum errorem, vt demerent non parum laborandum nostris fuit. Cessit tamen ad extremum; maximè quando Riccius librum Ecclesiasticarum precum, quem ad omnium horum, vsum secum ferebat, è perâ expromptum illi exhibuit; alia vtique forma characterum exaratum, quam quæ sinicis literis, proinde non iam in mundo vnicis, contineretur. Ac delapsus in humanissimos sermones: quan-

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. 1.

P P P do

287  
Error eorum existimantium. P. Riccium ad ipsos regedos mitti.

288  
Delubrum Nanhoense Idolis plenum.

289  
Mille Sodales in duodecim contubernia distincti.

290  
Rationes cur Patres recularint Cœnobium Nanhoam.

291  
Vicario probata.

292  
Et eidem error exemptus.

293  
Humanitas  
eius in No-  
stros.

do ipsis non arderet Nanhoensis commoratio, quæsiturum sese ipsis aliam dixit; sicque dimisit Patres prius benignè admonitos, ut si eis videretur alios quoque Urbis Magistratus officij gratia adirent. Humanissimè illos excepit Præfectus Urbis Xauceana, quem Sciauquini viderant, adeo, ut eum (quod illic exquisiti honoris genus est) reuertentibus Domum, cibos in speciosis ferculis longo ministrorum ordine portari iusserit. Idque deinceps toties faciebat, quoties ad eum Patres adissent. Eiusdem commendationi imputabatur, quod à reliquis Magistratibus admissi sunt omnibus, cum mirificâ demonstratione benevolentia, multum excedentis Magistratum Sciauquinesium comitatem, quantumvis & ipsam non vulgarem. His

294  
Eligitur ha-  
bitatio Xau-  
ceæ.

fauoris indicijs inuitatus Riccius ad sperandum Xauceæ Ministerijs nostris successum etiam maiorem quam Sciauquini, non putauit utendum facultate sibi à Prorege factâ transmigrandi si vellet in Urbem Nanhium, in qua similes opportunitates rei benè gerendæ, haud facillè forte reperiret. Veris ergo cogitationibus, ac curis ad inquirendum extruendo Templo, & adiunctæ habitationi locum aptum, ex hospitio sibi à Vicario assignato extra portam Urbis ad occasum, notarunt Patres Campum magnum edificijs planè vacuum, propinquitate Urbis, viciniâ fluminis, cæteraque commoditate nostris vsibus peraccomodatum. De eo cum interrogassent Ministros Vicarij, qui ipsis eius iussu inseruiebant, cognouerunt iuris esse sibi cuiusdam Quamhiao dicti, prope quod diuersabantur. Porro per leges Sinensium in plena regionum Magistratum esse potestatis res, & agros Fanorum, ut eos possint, quibus volunt sine iusta cuiusquam querelâ donare. Venit ad nostros postridie Vicarius visurus equid hospitibus deesset, & de loco vbi mallent sedem figere eorum sententiam exploraturus. Huic demonstrauit Riccius subiectum oculis campum, in quo libenter, si per eum liceret, consideret. Rem, inquit Vicarius, ni fallor impetrabilem optatis: Meæ partes erunt desiderium hoc vestrum Præfecto Urbis exponere.

295  
Quæritur so-  
lum ædibus  
ponendis.

Cæterum, ut tota res suauiter, & sine cuiusquam offensione transigatur, offensis censeo sacrificulis Fani pretium pro agro, quantum prudentes arbitrabuntur. Id nostri cum mox fecissent, sacrificuli qui tales vicinos nolent, arbitris corruptis immane, ac decuplò maius æquo, pretium diserunt, quod in ipsorum caput vertit. Nam postmodum Præfectus Urbis in penam iniquæ æstimationis, agrum gratis pro suo summo iure nostris in perpetuum attribuit. Labebatur inter hæc autumnus, in Xauceano Cælo haud minus quam alibi vsipiam grauis. Ibi enim quotannis ab Octobri mense tertiam ferè partem Incolarum ferunt tertianis tentari febrilibus, quibus non pauci consumuntur; alij longo tempore pallentes, debilesque ægrè vitam trahunt. Nostri Patres duo in ipso procinctu noui ædificij, aëris inclementiam incommodè senserunt, graui ambo simul morbo prostrati, ex quo cum Diuina benignitate emerissent, Templum Sciauquinesium amplius moliri sunt: sed ædes ei adiunctas in alteram, ut Sciauquini fecerant, atollere contiguationem omiserunt, quod id apud Sinenses insolitum admirationi sit; occasionemque aliquoties Magistratibus Sciauquinesibus dedisset, in nostris ædibus, tamquam præ cæteris magnificis, conuiuia tempestiua celebrandi.

296  
Et aptum  
gratis impe-  
tratur.

Est Ciuitas Xauceæ (Sinæ Xaocheu pronunciant) dignitate secunda post Metroplim Cantoniam, sita inter duos amnes piscosos, patientes nauum, & commercio celebres, in solo feraci oryza, ac pomorum, pasculisque lætissimo. numerus hominum propter insalubritatem minor, vix quinque familiarum millia excedit. Secunda ibi fixa inter Sinas Societati Statio, quos fructus Ecclesiæ dederit suis deinceps exponetur locis, sufficiat, quod ad huius anni extrema pertinet, adijcere: Visitatorem Valignanum Amacai, ut dictum est, morantem, cum cætero favore, tum liberali collatione subsidiorum nouum ædificium iuuisset, ac eo ipsis ope ad fastigium perducto, duos egregiæ indolis adolescentes, Sebastianum Fernandum, & Franciscum Martinez, Societatis Candidatos illuc misisse, ut tyrocinium

297  
Ædes cur  
humiliores  
factæ.

298  
Secunda in  
Sinis, Socie-  
tati Statio  
Xauceæ.

299  
Duo adole-  
scentes ty-  
rocinij So-  
cietatis Xau-  
ceæ ponunt.

istis

isthic ponerent, & interim linguæ, ac consuetudinum Sinicarum aliquo vsû imbuerentur.

In Iaponiâ primum incruentæ adhuc persecutionis sanguinem hausit hoc anno, non, quod pronum erat creditu, præceps furor Tyranni Cambacundoni, sed degeneris Apostatæ vilis timor Giofimonis Regis Bungi; neque enim Constantini nomine, quod in baptismo acceperat, appellari modo dignus est. Is, & propriâ pusillanimitate, & minis, ac monitis Cicacatæ Auunculi obstinatissimi Idololatæ in vehementem adductus metum arittendi Regni, si forte rescisceret Cambacundonus, & ipsum fuisse Christianum, & multos in familia, & ditone suâ tales adhuc habere, decreuit multis palam susceptis sacrilegijs, ac sceleribus ab istâ suspicione se se purgare. Accersitus à Cambacundono Meacum sigillum idoli de collo suspendit; sicque coram tyranno comparuit. Idem eodem tempore Cicacata, & Ministri Regis, Bungenibus Christianis, vt facerent edixerunt, paruere debiles è plebe pauci; cæteris signum ad bene audendum sustulere Iulia Regis Francisci secunda coniux, & huius priuigna Virgo Regis impij soror dissimillima, cui Regina nomen baptismus dederat. Paulus præterea Scingandonus Regis cognatus, Princeps nobilissimus, alijque multi, quorum exemplo confirmati plerique, fortiter steterunt in professione Religionis. Ea res Cicacatam, & cæteros Regis Ministros deterruit, ne quid eo absente tentare vltius auderent. Sed cum idem mox Bungum, incolumis, vt ipsi videbatur Apostasiæ suæ beneficio, reuertisset, ita se gessit, quasi, cui tam auidè incubabat Regnum, tum sibi proprium, & æternum crederet futurum, si ad summum apicem phantasticæ impietatis nihil omnino sibi faceret reliqui. Ante omnia nihil iam amplius dissimulans omni se palam superstitionis genere polluit, non vitata solum, ac vulgaris, sacrificando quotidie idolis, largiendo Bonzijs; sed extraordinariæ fundando noua templa cœnobiæque sacrificulorum, & festos dies, ac celebritates exquisitis caremonijs insignes, magno sumptu, parique splendore instituendo in honorem falsorum numinum. quin etiam totum se ariolis, & coniectoribus addixit, quorum greges circa se habebat, ex ijs continuo exquirens, quid futurum esset; cum ei conscientia scelerum, quibus se contaminabat, verissimum, si attendere vellet, augurium ederet impendentis exitij. Tamen ipse haud solus perire contentus, Viduam Patris sui Iuliam, duasque sorores Reginam, & Hieronymam exilij comminatione ad eiuandam religionem per certos homines ad id missos impellere conatus est; sed frustra fuit, illis non minus forti animo, quam Paulus, & Leo viri fortes, & Dynastæ magni nominis, quos pariter tentauit, impium mandatum reijcientibus: moxque ob id illatam iacturam honorum non constanti solum, sed læto etiam animo tolerantibus. Non defuit Apostatæ voluntas eos occidendi; sed Pauli potissimum famâ celebris, & bellis perspecta fortitudo ignauam bestiam deterruit, ne aggredi auderet, quod non facillè perficeret. quia tamen desperabat sine sanguine eluere se posse Christianismi characterem, quem publicâ quondam professione impressisset fronti, duorum hominum inter Christianos eminentium imperandâ necesse sese iactare Cambacundono decreuit. Erant illi humiles natalibus, opibus tennes, ideòque tales, in quibus experiri vim suam homo ignauissimus tutò se crederet. Ioachimum ergo quemdam Namuram patrio nomine, custodem sacre supellestilis, & Patrum exultantium vices, vt poterat, supplementem in viduâ Ecclesiâ Urbis Norzû Euocatum iussu Regis, ac in syluam deductum, missi ad hoc satellites trucidarunt. Erat Funai Ioramus Nacama, ortu Tacatensis, olim Francisci Regis operâ, è forti, & iracundo milite, pius mitisque Christianus factus. Huic ætate iam maturo, compositissimis moribus familiam, quam Christo vniuersam adiunxerat, piè ac religiosè gubernanti, curam discedentes Pa-

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. I.

P P P 2

tres

300  
Regis Bungi Apostasia

301  
Paucorum è Bungenibus lapsus.

302  
Aliorû constantans persecutionis.

303  
Ingetia scelerata Apostata Bungenis.

304  
Frustra tentat nouerca & sorores.

305  
Pauli fortitudinem formidat.

306  
Ioachimus iussu Regis Bungenis occisus ob Christi fidem.

307  
Ioramus Funaiensi Ecclesiæ Præfectus.

IN TOTIA SOCIETATE  
PARIS IV

PARIS IV  
TOTIA SOCIETATE

311

308  
Ad mortem  
se coparat.

309  
Interfectori  
bus occurrit

310  
Et fortiter  
subit illatâ  
necem.

311  
Iorami cor-  
pus in Cru-  
cem tollitur

312  
Andreas  
Crucifixum  
ignominia  
lubrahit.

313  
Iorami cor-  
poris trans-  
lato Ari-  
mam.

tres dederant baptizandorum infantium, & quibus alijs homini laico fas  
esset officijs religionis procurandâ. Attentissimum ijs sedulo agendis scia-  
rius Apostata tribus sicarijs negotium dat, vt de medio quamprimum tol-  
lant. Prosciscuntur eo consilio Funaium, & quia celebratam olim Na-  
camae fortitudinem timebant, centum sibi bene armatos satellites adiu-  
gunt. His Ioram fido amicorum indicio compertis, vxorem cum filijs  
repente quæsto prætextu aliò amandat; Ensem veteris professionis indig-  
ne armatus excepisse persecutores videretur, domo eiecit: Ipse quâ nocte  
se moriturum norat, in Sacello domestico coram Christi Cruci affixi ima-  
ginè prostratus; carnifices opperiebatur intrepidus. Adfunt illi circa noctem  
mediam, & primum sensim adrepunt, explorabundi ecquid intus, vt mor-  
ris est in Iaponiâ viris fortibus neci additis, Ioramum cognatos suos  
omnes, amicosque congregasset, cum ijs dimicare fortissimè paratis, carè  
vitam, caputque venditurus suum: Mirum erat in ædibus silentium, quo  
illi audaciores facti fores effringere aggrediuntur, eoque facile percho-  
cum nemo irrupentibus obstaret, exclamarunt, qui primi subibant: Ior-  
amus aufugit. Ad hæc ille surgens è suis latebris, minimè verò, inquit,  
& procurrat illis obuiam vultu reidenti, vestitus lineâ Epomide, quâ in  
sepulturis mortuorum vti consueuerat. Reliquariam thecam, coronam è  
globulis precatarijs, & Christi Crucifixi sigillum de collo suspensa gerens,  
manibus autem præferens eam ipsam Crucem, quam funera deducens ante  
omnes altè sublatam Christiano ritu portare solitus erat. Ori, vt postea  
compertum est, indiderat globulum piacularem, qualium vsus erat illis tem-  
poribus quàm hodie frequentior ad indulgentias lucrandas. Sic inopina-  
tissimè apprensus sicarios admiratione subitâ confudit: multo magis, cum  
mox in genua coram ipsis procidens, suauissimè, ac mansuetissimè dixit:  
gratias se habere ingentes honorum largitori omnium Deo, quod antiqui  
voti sui, vitam pro Christo profundendi, se te aliquando compotem face-  
ret. Vos verò (satellites intuens) tanti mihi boni administratos, vt ego  
latus, & gratus accipio! Hic formulam confessionis recitauit, terque  
pectus percussit manu, ac mox oculis sursum sublatis ceruicem percussio-  
ribus præbuit, à quibus est ictu demum tertio capite truncatus. Statim  
certior factus impius Rex de Iorami morte, quo plus ex eâ gloria cape-  
ret apud eos, à quibus inire gratiam optabat, Cambacundonum & Bon-  
zios, diluculo præcepit occisi corpus in crucem tolli. Sed caput reperiri  
non potuit, iam à Christiano aliquo surreptum, quo indignatus vaxors Apo-  
stata, sigillum Crucifixi, quod de collo suspensum gestasse Ioramum di-  
ximus, & præterea Crucem, quam manu præculerat, suspendi cum cor-  
pore mandauit, quam factorum signorum ignominiam non ferens Andreas  
Ongasauara Christianus feruentissimus, statim subtraxit vtramque crucem  
spectaculo, & ludibrijs impiorum; idque ita dextrè fecit, vt Persecutor  
Barbarus, quem Iulianum Apostatam potius, quam Constantinum appella-  
ri liceat, cum diligentissimè quæsisset autorem pij furti, numquam va-  
luerit deprehendere. Vnde furore amens vxorem Iorami cum filijs duo-  
bus, & famulo domestico, Christianos omnes, iussit occidi. At An-  
dreas ipsum quoque Iorami corpus paulò post subduxit, & Visitatori Va-  
lignano dono dedit; à quo secreto, tutoque in loco tunc depositum,  
inde quarto post anno cum pompâ, & Ecclesiastico cantu translatum,  
est Arimam idibus Septembris, inclusum pretioso feretro, & in Se-  
minarij Sacello collocatum. Cur id sacrum pignus ita solemnè translatio-  
ne honoraretur, causam dedit fama celebris per Bungi Regnum sparsa,  
& oculatis multorum partim Idololatrarum, partim Christianorum testimo-  
nijs nixa, quâ constabat sextis quibusque ferijs supra locum, vbi caput Ior-  
ami seruabatur, quasi faculas, aut lampades viuo ardore fulgentes, lu-  
culenter in aère pendere. Domus Iorami post eius, & filiorum mortem

in cuiusdam obstinatissimi Idololatæ ius, ac potestatem transferat. Ut in eâ cepit habitare, agi sibi ferrique animum sensit vehementibus desideriis legis Christianæ cognoscendæ. Audiuit, credidit, baptizatus est, & indignum se inde reputans, qui aedes tanti herois consecratas sanguine incoheret, illas in Sacellum vertit, ipse aliò migravit. longè alia fors fuit maleuoli delatoris, qui Tyrannum Apostatam in Ioramum concitauerat. huic enim foedo vlcere innato maligna lingua computruit, calumniatore inter acerrimos dolores, & fetorem intolerandum post aliquot in diris tormentis exactos dies, impoenitentem animam simul cum ultimo lingua radicatus excisæ frusto ad extremum expuere coacto. Incidit felix obitus Iorami in diem vi. Kal. Aug. Alij per Iaponiam Christiani Principes longè dissimiles Bungenfi, adeò nihil de proposito Religionis colendæ, tuendæque remittebant, minis aut metu Cambacundoni, vt magis quotidie, magisque in zelo, ac caritate proficerent. Commemorandi præcipuè inter hos veniunt, Ioannes Princeps Amaculæ, & Protasius Rex Arimæ, Ioannes sine vlla, vt diximus, dissimulatione Diuinæ legis Ministros consueto vestitu apud se habebat, nihil Imperatoris iram metuens, qui ab inuidis delatoribus de illa re admonitus, sicarios clanculum submitit ad Amaculanum trucidandum, quorum agrè ille insidias vitauit. Nec tamen de constantiâ remisit, vel tantulum. Imò cum ad eum falsus esset perlatus nuncijs, Sancium Dynastam Omuræ, & Protasium Arimæ Regem victos minis Cambacundoni, Patres, qui in terras ipsorum mulei confugerant, inde pepulisse, statim misso è suis vno, Viceprovincialem Coëllium rogauit, vt Patres, vel quotquot essent in Iaponiâ vniuersa, suam in Insulam transferret; suo se illos sumptu, suo hospitio, spreto quantouis periculo, libentissimè, ac latissimè tuiturum. Ac si eos illò quoque persequeretur Imperatoris furor, restitutum illi, quoad posset; Ad extremum cum Patribus quocumque potius iturum, quam in Patriâ Christi Sacerdotibus, & legis Sanctæ Magistris orbatâ peristeret. De Rege Arimæ illud memoratum non indignum est, accersitum eum à Cambacundono, item vt Bungensem, cum facillè videret, quid timere à tam truculento tyranno posset, qui contra eius edicta septuaginta Patres in suo Regno non solum morari pateretur; sed ipse aleret, atque omni præsidio foueret; adeò tamen nihil simile passus est Apostatæ Bungenfi, aut ad vllam humilitatem abiecti metus demittere animum sustinuit, vt contra purgata confessione conscientia, refectus sacro Epulo, velut moriturus accesserit, fidenti vultu, & fronte, in omnem euentum paratus: & successus fuit, qualem merebatur innocentia. Flexus Ecclesiarum precibus Deus, in cuius manu corda Regum sunt, sic affecit Cambacundonum, vt Protasium exciperet amicissimè, inuitaret secum ad epulas, donis auctum, titulis honorificis ornatum, domum remitteret. cum è contrario Bungensem frigidissimè exceperit, ac mox accusationem quandam exorsum in Paulum Dynastam Christianum cognatum suum, filere iusserit; mente captum increpans, qui tam fortis, & strenui viri mèrita non nosset, nec vt sciret amicitia. His admonebatur lenibus flagellis impius Rex, quibus cum non emendaretur, ad extremum meruit, paucis post annis Regno eijci, illo ipso anniuersario die, quo Iorami corpus cum Cruce, ac Christi effigie suspendi è patibulo sceleratissimè iusserat, vt suo loco memorabitur. Sed quando Protasij Regis Arimæ incidit mentio, non omittam hîc referre pignus ingens ei oblatum Diuinæ benevolentia; simul dum id memoro loco suo redditurus, extremo videlicet huic anno vndenagesimo supra quingentesimum, atque millesimum, memorabile in paucis prodigium quo Deus admonere Iaponicam Ecclesiam, instantis atrocioris longè quam hæcenus persecutionis, consueto Prouidentia; suæ more dignatus est. Circa Iunium mensẽ huius anni, oblatum est nocte quadam dormienti Regi Protasio somnium longè à cæteris diuersum, &

cui

314  
Mira eouer  
sio hominis  
Idololatæ.

315  
Pœna dela  
toris qui ge  
cis causa Io  
ramo fuerat

316  
Ioannis A  
maculæ Prin  
cipis intre  
pidus ani  
mus.

317  
Rex Arimæ  
votatus à  
Cambacun  
dono.

318  
Comparat  
se ad mortē.

319  
Excipitur  
amicissimè.

320  
Bungenfis  
Apostata,  
spretus.

321  
Prælagium  
augendæ  
persecutio  
nis.

322  
Somnium Re-  
gi Protasio  
oblatum.

323  
Reprehensio  
leuium erro-  
rum.

324  
Anxietas  
Regis qua-  
renus de fi-  
gno Iesu.

325  
Obamæ Mi-  
chaël Chri-  
stianus ligna-  
tum profectus  
truncus cui  
cruce inerat  
deiecit.

326  
Tara nomē  
arboris in  
Iaponia dia-  
bolis, vt cre-  
dunt, inserta.

327  
Vigilia Na-  
talis Crucis  
reperitur in  
trunco Tara-  
e.

328  
Forma eius,  
& color.

cui Diuinitum inesse quippiam illud memoriâ retractans, dubitare, vt ma-  
ximè anniteretur, minimè poterat. Visus erat sibi videre adstantes duos  
augustiores humanâ specie Principes, è Cœlo, vt apparebat, delapsos. Hi  
Protasium intuentes, aspectu blandâ quadam seueritate, mixtis terroris,  
fauorèque, temperato, eundem verbis, amorem quidem testantibus, adiun-  
tamen lenis iræ quodam aculeo pungentibus, obiurgarunt, quòd caritatem  
suam primam reliquisset, quod leuibus de causis sacro missæ sacrificio ade-  
se omitteret, quod parùm accuratè meditatus ad confessionem peccato-  
rum accederet. Similia quædam enumerarunt. Post quod hortari sunt,  
vt pristino feruori se redderet, ac Patrum ductum in vitæ Christianæ exerci-  
tatione sequeretur: Absentes adiunxerunt: Scito esse in tuis terris IESV  
signum. Fac carum, & pretiosum id tibi fit, non enim opus est manus  
humane. Vt euigilauit Rex altius animo impressum id visum sensit, quam  
cætera experiri soleret ludibria sopitæ mentis. Itaque tenere se non po-  
tuit quin P. Gomezio, vt eum primùm habuit obuium, & alijs deinceps  
multis, cum eximio semper arcana teneritudinis, ac deuotionis sensu,  
narraret. Et errata quidem, de quibus erat reprehensus, multis supplicijs  
vltro susceptis, & vberibus eluere contendit lacrymis: quod esset au-  
tem illud in digressu à Cælicolis sibi visis commendatum IESV signum,  
neque ipse cogitans expedire per se, neque consulens, elicere ex alijs  
poterat. Sextus à somnio fluxerat mensis: iamque res tota pene in obli-  
uionem abierat: quando vicesimo tertio Decembris die, Obama, qui vi-  
culus est sex, septemve millibus passuum Arima distans, feruens quidam  
Christianus, Leo in baptismo vocatus, ibi domicilium habens, Michaë-  
lem filium aduultum lignatum misit, vt materiam domi haberent quanta  
sufficeret igni alendo per instantes Dominici Natalis serias. Egressus cum  
securi Michaël, vt Paris mandatum exhauriret, cum alios toto die ra-  
mos arborum disiecit, tum sub vesperam conspicatus in tumultu quodam  
saxeo viæ publicæ imminente, loco paternæ domui vicino, truncum arti-  
dum, & vt indicia se dabant mortuum, altitudinis pedum ferme duo-  
decim, crassitie, quæ spithamas, aut palmos, ferè septem in ambitu col-  
ligeret, eum bipenni aggressus, non leui nec facili labore ingeminatis  
ictibus deiecit, ac humi stratum linquens, quia nox iam ingruerat, do-  
mum repetijt. Erat hæc arbor ex eâ specie, quam in Iaponiâ Taram  
vocant; infructifera illa quidem, & cortice nodis aspero, ac per totum  
fruticante; ceterùm antiquâ opinione Iaponum venerabilis, quod ei vim-  
inesse malorum Dæmonum expultricem autumant, quem in vium sureulos  
ex eâ decerptos auspicijs noui anni in Domos vbi habitant, & cubacula  
in quibus dormiunt, inferre consueuerunt. Postridiè Michaël, ipsâ vigiliâ  
Natalis Domini, summo mane, vt opus ceptum absolueret, in tumultum  
redit. Frangere stipitem aggreditur; & altero, tertioque ictu, facilius quam  
putarat, à summo ad imum findit in aquas fere partes. Hic mirum ap-  
paruit: vtrique parti penitus inserta, & iuncturâ excludente vnguem archi-  
simè, atque aptissimè commissa Crux, alta dodrantem palmi, è ligno pla-  
nè diuerso, quod, & textus varius, & color dissimilis monstrabant.  
Nam cum, vt est natura Tarae arboris, tota interior fissi trunci superficies  
purè vtriusque canderet: Crucis vtriusque riuus eminebat in fusco nitore,  
planè concolor particulis, quæ multis in locis asseruantur veræ crucis, in  
quâ Christus est mortuus. Erat porrò Crux affabrè formata, & quasi ma-  
nu dolata peritissimi artificis. Et apparebat vnicam fuisse, cuius crassities  
scisso stipite cui erat inserta, in duo segmenta dissilierit, quod probatur  
non recto filo ducta, aut exactè læuis, Crucis hasta, sed spiris inæqua-  
lis vndantibus, prout vena ducebat fissilis ligni; ad hæc ex vnâ scissi trun-  
ci facie aliquantulum eminens, oppositâ vicissim depressiori loculam acco-  
modatissimè aptatum præbente aduersæ partis extantij, & finibus. Ad-  
mira-

miratus maiorem in modum Iuuenis, protinus ambas stipitis partes inter se commissas arcuè complexus, ad Patrem Leonem in vicinam Domum detulit, eidem inclamans quam longè potuit, miraculum se afferre. Nec secus Leoni visum, qui sacro quodam ad eam speciem horrore confusus, & ipse procidit in genua ante venerabile Christi signum, & duobus, qui ad se visendum superuenerant è vicinia Christianis, idem, vt facerent præiuit. Postdic adueniens Arimã, vt solebat, sacri festo die Obamã faciendi causa Sacerdos è Societate, rem etiam, atque etiam exploratam rediens ad V. Prouincialem Coëllium detulit, qui legitimè inquiri de re totã, & quidquid compertum foret in acta iussit authentice referri. Ea dum lento iuris ordine administrantur, interim impatiens curiositas ad primum famã indicium multos vndique Obamã accibat. Accurrit inter primos Protasius Rex, & miram crucem intuitus, ad nostros, qui plures adstabant. En, inquit, liberatam oraculi per somnium auditi fidem. Hoc sine dubio illud est I E S V signum in meis terris antea delitescens, non humanã factum manu, quod venerari me superi iussere, moxque, & ipse prostratus humi cum lacrymis: vt Te libens, inquit, & gratus accipio Cælo missum pignus! Ede quid his signis imperes Christe: parati ad Crucem, & ferendam, & subeundam sumus, hos tu animos dedisti, sed quod inchoasti perfice, auge vires, & quantum hostibus liberit labores crescant. Sub hæc Crucem argenteã inclusam, theca, in qua videri trans pellucidam crystallum poterat, Arimã ipse portauit: vbi longè celebrior est facta, secutis ad eam curationum ingentibus miraculis: ad quorum manifestissimam euentiam etiam Ethnicorum mouebantur. ita vt ex ijs hoc maximè persuasi argumento ante finem consequentis anni 1590. vndecim millia quingenti Arimã baptizarentur: in varijs verò Ximi locis, vsque ad nouem millia.

Hoc maximè anno, nam superiori ceperat, defæuit in Peruvia, atque adeo per Americã partem maximam, morbus pestilens inusitatissimi generis, cui anteambulo, & quasi metator, terrã motus præcesserat is cuius tertio retro anno meminimus. Multa in hac lue noua, & popularium, de quibus fando vnquam auditum latè dissimilia morborum. Fœdissima, contactorum eã corporum species, vel papulis, pustulisque turgentium, vel ijs mox ruptis obducentium foetidissimis vlcerebus immundissimas crustas: à quibus prurigne rodente scabendis cum temperare miseri non possent, faciem, & membra cute nudata, horribili visu, & oisactu, grauissimã sanie cooperta monstrabant, exesis sæpè vi luis malignã luminibus oculorum, & locis eorum vngue cruentatis. Vix voces exiles suspirijs enixi languentes edebant, labris vno vlcere commissis, ac vitæ meatu intimo angore strangulante. ita passim spiritu intercluso præfocabantur, nisi quos intentior cura ministrantium per vim, ac machinas intruso penitus in ima faucium liquore recrearet. Nec corporum tenuis sauebat malum. Omnes ad primum eius appulsus despondebant animos desperatione tristissimã, quam nulla curantium sedulitas consolaretur. Propagari contagione, diceres hunc morbum. Nam totæ illo familia, totæ Ciuitates continenter absuuebantur, rursus id ipsum negares, cum animaduertes, in locis octingentarum, aut mille leucarum spatio distitis simul apparuisse: ac multo magis cum videres eum maximè obuijs, & ægra corpora ministerio tractantibus Europæis parcere, Americanos, quamvis sibi cauentes, corripere, & vsque in seductissimas latebras persequi. Quæ qualitatum primarum quatuor prædominaretur in isto languore, incertum iudicium experientia ferebat, indicijs omnibus fallentibus: nam si ariditate laborabant ægri, cur liquorem respuebant? si abundantia humoris, vnde igitur sicci anhelitus: & suffocatrices angustia? Ardori, rigoriue si quis causam tribueret, æquè refelleretur ex eo, quod non minus execrabilissimã æstate, quam

329  
Cruce cum  
trunco do-  
mũ portata.

330  
Agnoscitur  
à Rege Pro-  
tasio signũ  
Iesu non  
manufactũ.

331  
Cruce reper-  
ta Theca ar-  
gentea in-  
clusa defer-  
tur Arimã.

332  
Et miracu-  
lis claret.

333  
Causã con-  
uersionis vi-  
ginti milli-  
bus Ethni-  
corum, H. Z.

334  
Horrenda  
luis mopi-  
nata quali-  
tates.

quam hieme rigidissima; non remissius in torridis, & sterilibus arenis quam in irriguis, & syluâ protectis vallium amœnarum diuersorij lues ista defauiet. Sed quam latentes cladis causæ, tam manifesti iidemque luctuosissimi effectus patuere, totâ ferè, quam longè porrigitur, America à Septentrionali parte, & Vrbe Carthagine, Austrum versus vsque ad Chilensium Regnum freto Magellanico conterminum, stragem funestissimam vno tractu continuatam gemente, quouis mense multorum millium, præsertim è tenerâ ætate. Puerorum quippe, ac puellarum infantium, vix centesimum quodque seruabatur caput: Limæ, Chuschi, Potosij, Chiti, Arequipæ, aliisque in Urbibus vbi Societatis Domicilium fuit, omni contentione laboratum à nostris in ministerio agrorum, atque in curatione non animorum solum, sed vbi licuit etiam corporum. Neque, vt fit alias, ad propriam peste contactorum curam sepositi pauci. omnes passim Sacerdotes, qui Limæ, qui Chiti, qui alijs in Collegijs, aut domibus, vel frequentissimis erant, totos dies per dōmos languentium cursabant, Sacramentis penitentis, Eucharistiæ, Extremæ vnctionis ministrandis, quod dum sedulo agunt, quicumque ex ijs in Americâ nati erant eo malo contacti sunt præter vnum, vel maximè in agris diu noctūque curandis assiduum, quem ad vniuersorum solatium Diuina videtur cura seruasse. Ex ijs, quos lues corripuit ceteris Dei beneficio reualefcentibus, vnus Sacerdos è nostris cum duobus fratribus animam pro amicis in caritatis exercitio dedere, quorum nomina deperditis longo itinere literis reddere non possum, quæ scripta, vt credo, sunt in libro vitæ. Ex Europæis quoque, in quos alij per id tempus morbi grassabantur, tres alios, in quibus duo Sacerdotes Collegium Limense luxit extinctos; in primis Hieronymum Portillum, qui primus Societatis nomen ante hos annos duos, & viginti in eas terras inuenerat, & Domuum, ac Collegiorum pleraque fundauerat. Felicissime vir industriæ in hominibus Deo conciliandis, ac planè ingentibus meritis rarisque virtutibus memorabilis, quibus rebus quantum sui reliquerit desiderium, argumento fuit irruens in templum nostrum, dum ei exequiæ celebrabantur, Indorum innumerabilis multitudo miserè complorantium, plangentium, ciulantium, sic tamquam amisso Patre indulgentissimo pij filij solent. Harum stragium fama Potozium perlata, nostris ibi Collegium habentibus occasione obtulit admonenda publicis concionibus, priuatique sermonibus Ciuitatis, vt & Deum penitentia placare conaretur; & in omnem euentum (quoniam humanitus inuitabilis videbatur pestilentia omnia circumplexæ ingressus in Urbem) curandis infirmis necessaria pararet. Assensu sunt Ciues, & ipsis boni Consilij autoribus stipe collatâ tradiderunt vnde bene designata perficerent. Duo, & viginti aureorum millia in eam rem corrogata: ex quibus nostri nouem diuersis locis Nosocomia excitauerunt, & opportunis rebus cunctis, idoneorumque ministrorum copiâ instruxerunt. Lege sancitâ, ne in quoduis eorum adolescens vllus ingredi, curandi, ministrandiue causâ sineretur; quoniam isti ætati potissimum infensam constabat hanc luem. Breui apparuit haud vanos apparatus impervacaneamque prouidentiam fuisse, penetrante in Urbis viscera, ferali morbo, moxque funestâ libitinâ exhauriente domos Ciuium. Hi nostri non minus se strenuos in propulsando, subleuandoue præsentis malo, quam prouidos in denunciando imminente præbuerunt. Omnes domo effusi diu, noctūque toti erant in agris exportandis è priuatis ædibus in valetudinaria publica, in ijsdem ibi omni operâ iuandis. Ingens, & intolerabili foetore, vno perpetuo deformatorem vlcere corporum. Tamen Dei beneficio non alacriter solum, & constanter, sed etiam innoxie, difficilem prouinciam gesserunt nostri omnes, vno excepto Bartholomæo Iacobo Sacerdote, operario laudatissimo. qui cum ante menses dumtaxat quatuor in-

335

Pestis latissime grassata strages in gentes.

336

Patres, vbi que peste laborantibus ministrant.

337

Tres moriuntur.

338

Obitus felicis Hieronymi Portilli.

339

Potozij apparatus ad excipiendâ pestem.

340

Haud vanus.

341

Ea grassante caritas nostrorum.

Potosinum Collegium venisset ea ibi perfecit in quibus plures annos non male impensas æquas æstimator diceret. Duas ex illis barbaris Indorum linguas ita perdidicerat, vt in vtraque eloquentissimus haberetur. Argumento erat dulcedo, quâ ex eius ore pendebant in ijs nati linguas. qui etiam vulgatum, & celebre totâ Regione ei cognomen indiderunt, Miz qui Simi, quod indo illarum partium idiomate sonat, melleam linguam. Primo Potozium ingressu curam susceperat Sodalitij in nostro Collegio instituti, in quo cum octoginta dumtaxat sodales reperisset, trimestri post moriens reliquit supra mille quingentos. Is appulso post morbo, & stragem edente, omnibus locis occurrens, nullo sui periculi respectu, qui natum indidem, ac propterea huius contagioni morbi obnoxium se sciret, ex eo cito contracto religiosissimè decessit. celeberrimo elatus est funere, concurrente, ac veris dolorem lacrymis testante vniuersâ Ciuitate. In Vrbe Chuscho Ministerio infirmorum (nam ibi quoque sæuè grassata pestilentia est) alijsque nostræ consuetudinis vulgò gratis muneribus Patres eius Collegij ingentem, & illustribus indicijs testatam apud omnes ordines adepti gratiam, inde, vt fit, inuidorum in se odia verterunt. Libellus in nos famosus clam ferri per manus cepit: versusque maledici cantari à face plebis: audaciâ, vt apparebat, ex impunitate ortâ. Etenim cum anno superiori Satyricum octastichon sordidi dentis mordacitate rabiosum, clam affixum Collegij nostri Potosini foribus repertum esset, scelus id noturnum, etsi ei vniuersæ in nos beneuolæ Ciuitati improbatum, & ingratum, nullâ tamen inquisitione vestigatum, nullâ vindicatum animaduersione fuerat. Quare rati Chuschenfes Patres nullum finem, aut modum perniciosæ licentiæ fore, priusquam in aliquo istius criminis ritè conuicto exemplum publicæ seueritatis constitutum esset, querelâ ad legitimum Iudicem delatâ, de clanculario autore infamis scripti iuridicè inquiri petierunt. Iudex quæstione habitâ citò compeit idoneis testimonijs cum multorum aliorum, tum Religiosorum quatuor Sancti cuiusdam, & in Ecclesiâ percelebris ordinis, Scriptorem libelli esse quendam eiusdem ordinis Professorem Sacerdotem, eundemque Concionatorem Chuschi notissimum. Re statim compertâ nostri trepidè ad Iudicem accurrentes, etiam, atque etiam rogarunt, ne vulgari ad publicam notitiam viri talis infamiam pateretur. acturos sese cum eius Prouinciali, & vt clam, ac sine stigmate publicæ ignominia, quantum satis esset castigaretur effecturos. Acquieuerat Iudex: & Prouincialis gratijs habitis ob occultatum sui ordinis dedecus, abundè, quod petebatur se facturum receperat. Cæterum Reus non aduersum suos obseruantior, quam in alios æquus, Prouincialis autoritati subijcere se renuit; & quâ vâcordiâ prolabi ceperat, eadem ruere in præceps pergens, autorem se libri famosi ferre palam ausus est, & iure se illum scripsisse, ac vulgasse defendere. Nitebatur videlicet factione sibi similibus paucorum, cuius opes aduersus conspirationem bonorum imbecillæ fuerunt. Capessit enim Iustitiâ, ac bonæ famæ Societatis legitimam defensionem primum Capitulum sede tunc vacante, Deinde Consilium publicum, ac Magistratus Ciuitatis: moxque horum literis conuenti, tractique in causam Episcopus iam electus, sed nondum confirmatus, Sacer Senatus quæstorum, denique ipse Prætor Prouinciæ, quorum auxilio confirmatus Prouincialis maledicum contumacem merito affecit supplicio, & Chuscho expulit. Huius causæ se implicuerant parum benè in nos affecti sacre alterius familiæ Cœnobitæ duo, & concionibus publicis agente apud eorum superiores ipso Prorege, congruum culpæ supplicium, inflictum. Fuit cum Deus ipse per sese defensionem innocentia susciperet supplicio de nostris obtreptatoribus palam fumendo, sicque ipsis ad vltro

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. I.

Qee

reuo-

342

Bartholomæi Jacobi virtutes.

343

Vtilis labores.

344

Et mors pia

345

Chuschi per libellum clâ sparum infamata Societas.

346

Iudicis opè implorare cogitur.

347

Libelli autor Sacerdos Religiosus deprehenditur.

348

Cuius nomè occultare Patres student.

349

Sed ipse se prodit factione fretus.

350

Contra quâ Ecclesiasticus, &amp; secularis Magistratus conspirat.

351

Libelli autor, &amp; alij duo puniti.

352

Sacerdos secularis infamata Societatem.

353  
Particeps  
Cœnobita.

354.  
Vterq; morbo afflictus peccatum agnoscit, & pro iniuria lausfacit.

355  
Nostris non ministerio solum, sed etiam medicamentis gratuito suppediatis agrotos iuuant.

356  
Chiti Philosophiæ studium institutum.

357  
De Tucumana Regione.

358  
In eam è duabus partibus Societas immissa.

reuocandam, & quoad possent refarciendam iniuriam cogendis. Cum enim Sacerdos quidam secularis vitæ perditæ, grauissima flagitia, quæ ipse videlicet in suâ ipsius conscientia haberet, nostris per summam impudentiam non dubitasset imponere; tam ipse, quam quidam Cœnobita, eius in hoc scelere fautor, & particeps, repentinâ vi morbi correpti, agnouerunt vlciscentis Dei manum. Et sacerdos quidem magistratu aduocato excipienti regio Tabellioni publicum scriptum dictauit, quo profitebatur: scilicet malo animo improbè, ac scelerate mentitum, dum in Patres fallâ quadam, quæ distinctè percensebat, testimonia protulerat, eaque nunc in lethalis morbi periculo pro suâ animæ mox forte Diuino iudicio sistenda necessario remedio reuocare, inania, vana, iniquè conficta declarare. Huius instrumenti Romam deinde missi authenticum exemplum coram oculis habebamus hæc scribentes. Cœnobita verò quamquam esset natus in Hispaniâ, qualibus, vt dixi popularis pustularum morbus vbique parcebat, & longè ab adolescentiâ remotus, cui ætati præsertim infestâ erat hæc lues, videlicet annum agens quartum supra quadragesimum, tamen eo correptus est cum esset in recenti conscientia calumniæ nobis constata; arcanis simul animum pulsantibus admonitionibus, quæ docerent, cuius delicti pœnam is languor exigeret. Ergo is quoque à P. Rectore Collegij Chuschenis, ad eum, vt ceteros eâ lue contactos iuuandum accedente, veniam petijt. & cum non solum ministerio nostrorum, sed etiam medicinis gratis suppediatis è penu nostro, & sedulâ curâ in temporibus oblati; deinde conualuisset, solebat prædicare vitam se debere nostris; & voluisse Deum, vt ijs, quos iniquissimè laeserat, summo esset beneficio deuinctus, cuius professionem cum gratâ laudum Societatis prædicatione iungebat. Porro, quod in hunc actum à nostris retuli, idem in omnes passim pustulis periclitantes toto trimestri spatio, quo est per Cuitatem Chuschum pestis ista grassata, effectum quoque intelligatur. Cuncti enim Sacerdotes eius Collegij totos dies infumebant vrbe concursanda obambulisque domibus, ac lectulis agrotantium, quibus etiam gargasillos, syrupos cæteraque id genus medicamina Officinâ Domesticâ parata gratis afferebant. Earundemque rerum vim quotidie magnam Ianitor ad Collegij fores cuius petenti donabat. Chiti etiam grassante pestilentia, strenuè à nostris, fortiterque actum: Hi Kal. ipsis Ianuarijs huius Anni in ædes laxiores migrauerant, & ad cæteras Scholas Philosophiam addiderant, cuius auditores etiam è diuersis Religiosorum ordinum familijs multi confluxerunt. Missiones vbique impigrè curatæ, plurimus è nostris in varias vrbes, pagosque, quæ Infidelium, quæ Christianorum nomine tenus, vtilissimè profectis. Tucumanorum Regio est latissima, perpetuâ planitie patens ad leucas supra nongentas. ab Oriente Paraguaas respicit, Populos Brasilis finitimos, à Septentrione Peruuiam. Occiduum limes Chilensium Regnum tangit. Ad meridiem camporum spatijs plerumque incultis, ac vastis in immensum tractum freto Magellanico terminatum protenditur. Cæli temperies, & soli vbertas ea est, qualis maximæ hominum multitudini, & gignendæ, & alendæ aptissima optari potest. Incolæ passim præsertim ad ripas annium frequentissimi, sed mirâ varietate linguarum diuersitatem originum testante: ipsosque inter se parum sociabiles, & inde inuicem infestos reddente. Diabolum colunt metu damnorum, quæ ab illo posse inferri plerumque experti credunt. His populis ad Christi Religionem vocandis vno tempore duo Prouinciales Societatis, non communicatis consilijs adiecerunt animum, miseruntque Euangelij Præcones. Peruvianus quidem tres è nostris, in quibus Sacerdotes duo. Brasilienis verò quinque, qui & inuicem iuncti sunt, casu cuius superius meminimus, & concordî mente communiter rem gesserunt insigni profectu. c.

ins specimen ex vnus melloris Apostolici manipulis capi poterit. Alfonso Barzana ( id erat nomen Patrum vnus ) seorsum excurrens cum socio, quod & reliqui faciebant, breui tempore sexies mille sexcentos baptizauit. Et quia sunt etiam inter Tucumanos permulti Christiani, sed incultissimi, & funditus omnium scitu necessariorum rudes, eorum labore magno institutorum confessiones innumerabilium audiuit. Matrimonij verò facti vinculo, cuius nulla ibi ante religio, ac ne notitia quidem, ducentos supra quinque mille rite coniunxit. In Calsaquensium quoque gente barbarâ, quam tunc recens Hispani subegerant, ingens Euangelio ostium apertum, eodem Barzanâ propter peritiam sex linguarum, & zelum apostolicum, talibus maximè expeditionibus idoneo, ad eos misso, & breui tempore operam nauante; ijs ferè vniuersis Christum amplexis. hinc reuerfus mira gessit in Vrbe S. Iacobi, & in Metropoli Gentis totius Tucumanâ Ciuitate multis vtrouique millibus hominum ad Christi religionem, & vitam honestam traducendis. Erant Sulenses Indi earum finitimi regionum, Gens nullius fidei, & feritatis immanis, cui propterea nemo se committit. ausus ad eas est accedere Barzana cum Socio è nostris, inermes ambo. mirari Hispani omnes, & nunquam inde redituros dicere. tamen Deo mitigante fera corda admissi beneuole, auditi patienter, breui tempore duo millia septemdecim rite institutos baptizarunt: ex ijs mille quingentos sexaginta duos Christiano iam matrimonio deuinxit. Hæc non sine immensis peracta laboribus. Multa quotidie passuum millia seni per asperitates magnas locorum, & temporum pedibus emetienda. obuij amnes maximi tranandi. victu interim non alio, quam quem radices herbarum, obiter vnguibus effosæ, ac terrâ euulsæ sufficerent. His malis fatiscente corpore languens, tumefactis, ac scissis in vlcera pedibus, sese recipere coactus, nono mense quam ex ex Vrbe S. Iacobi discesserat, eò redijt, fractus ille quidem corpore, sed integris animi viribus. Itaque cum eum ægrè semimortuum corpus Domum reportantem Diaguitæ Indi, ex ijs, quæ apud Sulenses ab eo acta cognouerant, cupiditate conceptâ eius audiendi, ad se inuitassent, promisit vbi se necessaria paucorum dierum quiete refecisset, ad ipsos accessurum: & promissis stetit, magno illorum bono, qui eius operâ Christum agnouere. Varai Populus inter Peruanos excelsioris animi, ac propter superbiam à Christi iugo subeundo initio alieniores, sensim industria Sacerdotum nostrorum ad eos mislorum mitigati, Dociles se præbere magisterijs Diuinis, & Christi religionem seriò amplecti ceperunt. Ducenti horum supra mille baptismo abluti, latæ primitiæ agri hæcenus sterilis oblata Deo sunt. De vno ex ijs non prætermiserim, quod certò compertum nostri Patres scribunt. Cum vîitata sit eâ in gente multitudo vxorum, & magna passim libidinis licentia, repertum vnum è Catechumenis quinquagenarium, quem, & aliorum, rem vt miram notantium prædicatione, & propriâ eius confessione constabat, cœlibem & castum à pueritiâ vixisse. Interrogatus ecquid vîquam concupiscentiæ stimulos sensisset: se verò etiam vehementissimos expertum respondit, cæterum eos compressisse vi, ac censurâ mentis, eâ penitus persuasione imbutæ: Deo autori, ac Domino rerum omnium placere pudicitiam. eumque multò dignissimum esse cui abstinentiâ rei sibi suauis, ipsi exose gratificari homo debeat. Hæc ille de se referebat, quæ facillè demonstrant, non vsquequaque à Deo desertos, vel illos ipsos esse, qui in mediâ barbarie procul ab omni commercio culturarum gentium, in summâ rerum Diuinarum ignoratione degunt. Ciriguani præterea, Gorgotoquenses, & Chanenses, Populi omnes illorum tractuum, cum hoc tandem anno Euangelici nostræ Societatis operarij linguas eorum, quibus parandis longo labore insudauerant,

Hist. Soc. Iesu Par. v. Tom. 1.

Q q q 2

fatis

359  
Alfonsi Barzana Apostolici labores.

360  
Callet sex linguas.

361  
Calcaquenses Christo adiungit.

362  
Sulenses ferocissimos mitigat, & ex ijs duo millia baptizat.

363  
Temperantia eius, & laborum ingentium tolerantia.

364  
E Varais mille ducenti conuersi.

365  
Mira gentilis hominis continentia.

366  
Tres alij Populi Euangelio imbuti.

HISTORIA SOCIETATIS IESU  
PARTE IV.  
PARTIS V.  
TOMUS III.

31

fatis edidicissent, Christi prædicationem libenter auditam, etiam assensu, & Christianismi professione suscipere. De multis aliis circumquaque ad messem maturis regionibus nunciabatur. Evangelij præmentibus, & semper ad sacras expeditiones procinctis,



HISTO.